Gieske: Ioannis Tzetzae scriptis ac vita

Vom Verfasser.

DE

IOANNIS TZETZAE

SCRIPTIS AC VITA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HENRICUS GISKE

DAMMERETZENSIS.

ROSTOCHII.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

MDCCCLXXXI.

RICCARDO FOERSTER

SACRUM.

Studia Tzetziana nostris temporibus neglecta fere iacere quis est, quin sciat? Viri docti, qui de litterarum historia scripserunt, ad unum fere omnes recoxerunt, quae Fabricii diligentia de vita Ioannis Tzetzae congessit, et quamquam non desunt, qui in scriptis eius edendis eorumque natura cognoscenda post Fabricii aetatem aliquid studii collocaverint, tamen nunc errores circumferuntur haud parvi. Quae cum ita essent, Riccardo Foerstero, praeceptore optimo, suasore dignus hic campus visus est mihi, in quo vires meas exercerem. Iuvenili quodam ardore rem sum aggressus. Sed mox intellexi rerum, quae ad Tzetzam pertinent, omnium tractationem et maiorem esse et in aliud tempus differendam. Quaestione igitur de fontibus, unde Tzetzes sua hauserit, omissa, hac scribendi occasione oblata de scriptis ac vita docti illius Graeculi disseram. Primum autem de scriptis; neque enim prius apte de vita Tzetzae disputari potest, quam de scriptorum eius indole et quibus confecta sint temporibus expositum sit.

[Eodem tempore, cum hanc dissertationem, ut probaretur, amplissimo philosophorum ordini Academiae Rostochiensis tradidissem, G. Hartii diligentissima de Tzetžarum nomine vitis scriptis commentatio in supplementorum

annalium philologicorum vol. XII, pp. 1—75 publici iuris facta est. Sed non habui, cur in dissertatione mea, quae et, antequam Hartiana foras mitteretur, confecta erat et nonnulla amplectitur ab illo praetermissa, multa novarem: paucis tantum locis, ubi e re esse videbatur, opiniones Hartianas in examen vocavi et refellere conatus sum. Haec additamenta notis inserta uncis inclusi. In commentatione ipsa nihil mutavi nisi locos, quibus Fridericum Iacobsium secutus statueram Isaacum, Berrhoeae eparchum, fratrem esse Ioannis Tzetzae. Quod non ita se habere Hart. l. l. p. 6 sqq. demonstravit. Ceterum gaudeo de rebus, quas et ego et ille tractavimus, inter nos plerumque convenire. Quem concentum singulis locis annotare supervacaneum visum est.]

A. De scriptis Ioannis Tzetzae.

Caput I.

De epistulis.

1. Quamquam iam diu Ioannem Tzetzam centum et septem epistulas scripsisse notum fuerat, tamen longe maxima pars earum non ante annum 1851 [1]) e duobus bibliothecae Parisinae codicibus, quorum alter est 2644, alter 2750, [2]) a Theodoro Presselio publici iuris facta est. [3]) Sed casus quidam infestus tulit, ut typis expressae eae pariter atque antea in bibliothecis delitescerent. Neque enim quidquam viri docti in iis consumpserunt operae, nisi forte Bernhardyum [4]) excipere vis haec de iis in medium proferentem: Diese Briefe sind leer und gewähren uns nichts anderes, als Geschwätz und eitle Reminiscenzen von mancherlei Lectüre. Quae si vera essent, etiam nos ut ceteros oportebat epistulas Tzetzae prorsus negligere. Sed mihi hoc iudicium parum aequum consideratumque videtur esse, quam ut ad has epistulas meam operam conferre dubitem.

---

[1]) De epistulis iam prius publici iuris factis cf. Fabricii Biblioth. Graec. edit. nov. cur. ab Harless vol. XI, p. 219 sqq. Has Hamaker in Bibliotheca critica nova IV, p. 379 sqq. epistula ad Epiphanium diaconum edita auxit.

[2]) Cf. de his codd. edit. Pressel. praefat. p. V.

[3]) Ioannis Tzetzae epistolae. Ex codd. mss. bibl. reg. Paris. nunc primum edidit Theod. Pressel. Tubingae MDCCCLI.

[4]) Grundriss der griechischen Litteratur, zweite Bearbeitung, zweiter Teil, zweite Abteilung, p. 686.

2. Inscriptiones epistularum intuentes haerebimus in decima, quae cum longitudine tum hac re insignis est, quod eam epistula sequitur nulla. Inscriptio haec est: Τῷ γλυκυτάτῳ ἀδελφῷ κυρίῳ Ἰσαακίῳ θανόντι ἐν Ῥόδῳ ἐν τῷ ὑποστρέφειν ἐκ τῆς μιαρᾶς ἐκστρατείας τοῦ Χάλεπ. Ἦν διὰ τὸ ὑπερπαθῆσαί με καὶ διὰ τὸ καταχρήσεις πολλὰς αὐτὴν ἔχειν τῶν διχρόνων, διὰ στίχων γὰρ ἦν ἰάμβων, χιάσας συνεπάτησα. Duae autem ex ea efficiuntur res, quarum quaeque ansam praebet ad epistulas recte cognoscendas.

a. Ac primum quidem elucet Tzetzam hanc decimam epistulam non idcirco scripsisse, ut ad fratrem, qui mortuus esset, mitteret, sed dolore affectus acerrimo ea, quae sensit, eloqui et ex suae aetatis more [1]) epitaphium voluit scribere, quo et fratrem mortuum honoraret et sui ipsius sermonis elegantiam praestaret. His cognitis epistularum corpus examinantes praeter decimam etiam alias invenimus non eo, ut mitterentur, consilio scriptas. Quo in genere esse epistulas 7. 9. 11. 15. 30. 52. 62. 63. 64. 12. 17 iam ex titulis [2]) earum satis apparet. Neque haec res mira est, quoniam non ignoramus et ante et post Tzetzae tempora hunc fuisse morem, ut epistulae „ad exercitationem accommodatae“ scriberentur. [3]) Sed ne quis putet Tzetzam omnes epistulas

---

[1]) Etiam in honorem Manuelis imperatoris mortui noster epitaphium scripsit, qui ad nostram aetatem pervenit; cf. cap. X dissertationis.

[2]) Ep. 7 inscripta est: ὡς ἀπό τινὸς διακόνου πρὸς ἐπίσκοπον.
„ 9 „ „ ὡς ἀπό τινος ξένου πρὸς τὸν παντεπόπτου ἡγούμενον.
„ 11 „ „ τῷ Γαλήνῳ Δουκὶ Θρακησίου ὡς ἀπό τινος Εὐνούχου Βαιούλου Πορφυρογεννήτου.
„ 15 „ „ τῷ ἱερωτάτῳ μητροπολιτῶν ὡς ἀπό τινος.
„ 30 „ „ τῷ πατριάρχῃ κυρίῳ Μιχαὴλ ὡς ἀπό τινος.
„ 52 „ „ ὡς ἀπό τινος πρός τινα.
„ 62 „ „ ἀπαιδεύτου πατρί.
„ 63 „ „ τινὶ διαβολεῖ.
„ 64 „ „ τινὶ μωμοσκόπῳ.
„ 12, 17 „ „ πρός τινα γραμματικόν.

[3]) Cf. Richard Foerster, Francesco Zambeccari und die Briefe des Libanius, p. 279 et not. 1.

orationis suae exhibendae causa composuisse, quae obstant argumenta breviter proponam. Ac primum quidem iam id, quod alii epistularum tituli habent illud ὡς ἀπό τινος, carent alii, demonstrat aliquid interesse inter has et illas. Tum multae epistulae suppeditant res, e quibus conditio et accipientis et mittentis tam perspicue cognoscatur,[1] ut eas Ciceronis epistulis ad familiares scriptis simillimas dicas. Deinde magni est momenti, quod Tzetzes interdum etiam diem, quo scripserit et miserit epistulam, indicavit.[2]

b. Altera quaestio hac, quam modo tractavimus, gravior versatur in eo, qua re adductus sit Tzetzes, ut quamvis decimam epistulam ipsam deleret, inscriptionem tamem eius posteritati tradere non omitteret.

Atque hic putaverit quispiam Tzetzam, ut epistulas ad eundem datas uno in loco collocaret, numeri explendi causa titulum dedisse epistula non adiuncta. Cui opinioni cum hoc, quod praeter decimam nulla ad Isaacum Tzetzam epistula exstat, tum illud repugnat, quod haec lex in epistulis disponendis non observata est. Etiam hanc opinonem, quae facile oriri potest, Tzetzam epistulas ad res, quae iis continentur, disposuisse falsam esse paulo accuratior earum contemplatio docet. Ingressi igitur aliam rei explanandae viam, inveniemus nostrum epistulas secundum temporis, quo scriptae sunt, ordinem disposuisse iustoque loco inscriptionem decimae inseruisse.

Epistulae 70 praefixa sunt verba haec: Δευτέρα συναγωγή τινων τοῦ Τζέτζου ἐπιστολῶν, e quibus apparet epistularum collectionem e duabus constare partibus, quarum altera complectitur epistulas 2 (cf. infra p. 11) usque 69, altera epp. 70 usque 107. Primum igitur agam de parte priore.

Epistula 38 hunc habet titulum: τῷ διακόνῳ κυρίῳ Λέοντι Χαρσιανίτῃ, epistula 39: τῷ αὐτῷ γεγονότι μητροπολίτῃ Δρίστρας. Unde neminem fugiet epistulam posteriore tempore scriptam etiam in corpore epistularum obtinere posteriorem locum.

---

[1]) Cf. epp. 2. 3. 5. 8. 13. 16. 18. 19.

[2]) Cf. epp. 44. 66.

Quam rem non casu et fortuito factam esse ex his efficitur, quae nunc in medium proferam.

Inscriptio epistulae decimae iambos, e quibus constabat, fratre Isaaco modo mortuo compositos esse edocet. In epistula igitur tertia decima legentes: Ἀφ' οὗ γὰρ ὁ ἐμὸς τριπόθητος ἀδελφὸς Αἰγύπτου ἰὼν δολιχὴν ὁδὸν ἀργαλέην τε ἐλεεινῶς τὸν βίον κατέστρεψεν, ἐπεὶ πόλεμον τολύπευσεν, ἐπεὶ Ῥόδον ἧκε ἀλώμενος ἄλγεα πάσχων, οὐδ' αὖθις ἀφίκετο πατρίδα γαῖαν, οὐκ οἶδα ὅ τι ἄρα καὶ γράφω ἢ φθέγγομαι, οὐδέ τί μοι τῷ βίῳ δοκεῖ βλεπτὸν ἢ στερκτὸν ἢ προσήγορον, οὕτω μοι πάντα καὶ ἡ μνήμων δὲ φρὴν ἐκείνῃ, δι' ἣν μακαριστὸς ἀγαστὸς ἐδόκουν πολλοῖς, συνετεθνήκει τῷ ἀδελφῷ καὶ οὐδ' ἀπολοφύρασθαι τοῦτον ἐξόν μοι μετροσυνθέτοις γραφαῖς dolorem, quem Ioannes e fratris morte ceperat, nondum minutum esse intelligimus eumque epistulam decimam et tertiam non ita multo post decimam scripsisse cognoscimus.

Iam ut de epistulis ad Leonem, metropolitam Dristrae, missis agam, epistulam 66 post epp. 38 et 39 scriptam esse titulus indicat hic: τῷ ἁγιωτάτῳ μητροπολίτῃ Δρίστρας.

Eadem ratione cognoscimus epistulam 46 posteriore tempore datam esse quam 45. Nam hac noster πρωτοψάλτην ὀστέων rogat, ut imperatori libellum suum supplicem in manus det, illa hic ipse est libellus.

Maiorem autem fructum ad id, quod demonstrare volumus, comprobandum capiemus, si tempus, quo singulae epistulae scriptae sint, eruere conabimur. Qua in re etsi non omnium, quo datae sint, tempus investigare possumus, tamen e re est de nonnullis ad certam venire sententiam.

Etiam hac in disputatione proficiscimur ab inscriptione decimae epistulae, qua Ioannes Tzetzes Isaacum fratrem e bello pernicioso cum Χάλεπ oppido gesto regressum Rhodi diem supremum obiisse haud ambigue dicit. [1]) Nicetas autem Choniata [2]) et Ioannes Cinnamus [3]) de Chalepo oppido frustra

---

[1]) Eiusdem rei Ioannes Tzetzes in Exegesi Iliadis p. 111, 18 et in carminis de metris prooemio mentionem facit.

[2]) Corpus scriptorum historiae Byzantinae, Nicet. Choniat. I, 7. 8, p. 37—41.

[3]) Ibid. Ioan. Cinn. I, 8, p. 15.

obsesso multa narrant. Horum aliorumque auctoritate nisus Muralt, vir doctissimus, [1]) vere anni 1138 Ioannem Comnenum imperatorem de obsidione Berrhoeae h. e. Chalepi [2]) destitisse affirmat. Nihil autem est, quod dubitemus, quin hoc bellum idem sit, cuius noster faciat mentionem. Qua re cognita epistulam decimam anno 1138 scriptam esse satis apparet.

Iam in epistula decima et quinta narratur imperatorem πέρυσι contra Ciliciam et Antiochiam bellum gessisse. [3]) Quod bellum cum anno 1138 [4]) actum sit, epistula haec est data anno 1139.

Ioanne Cinnamo II, 2, p. 33 et Niceta Choniata II, 2, p. 70 auctoribus Michael post Leonis Stypiotae obitum patriarchae sedem obtinuit, eodemque Niceta Choniata II, 3, p. 105 teste Michaele a munere remoto Cosma patriarcha declaratus est, quarum rerum altera mense Augusto anni 1143, [5]) altera mense Aprili anni 1146 [6]) evenit. Ex quo efficitur epistulas 30 et 46, quarum altera ad Michaelem patriarcham ipsum est data, altera ad Manuelem imperatorem missa pro Michaele deprecatur, post annum 1143 et ante annum 1146 scriptas esse.

Epistula 55 Tzetzes Annam Caesarissam, Alexii imperatoris filiam, rogat, ut sibi contra Tzurichum haereticum auxilio veniat atque dicit, illum κατὰ τὸν πέρυσι χρόνον ἐν τῇ τῶν ἁγίων ἀποστόλων ἑορτῇ παρὰ τοῦ πατριάρχου κυρίου Μιχαὴλ gravissimis suppliciis esse affectum. Michaelem autem tum non iam patriarcham fuisse ex eo intelligimus, quod τὸν

---

[1]) Essai de chronographie Byzantine 1057—1453 p. 138, 6.

[2]) Cf. Nicet. Choniat. I, 7, p. 37, 11: Ἐπιστὰς δὲ τῷ Χάλεπ (τὸ δ᾽ ἐστὶν ἡ πάλαι λεγομένη Βέῤῥοια) ὁρᾷ πολυάνθρωπον πόλιν etc.

[3]) Pressel l. l. p. 17: Βραδεῖς δὲ οὐχ ἡμεῖς περὶ τὰς ἀποδείξεις τῶν σῶν τελεσμάτων ἐφάνημεν, ἀλλὰ κατὰ μὲν τὸν χρόνον τὸν πέρυσι ἐκωλυόμην δὴ καὶ αὐτὸς γιγνώσκεις τὴν ἐκστρατείαν τοῦ κραταιοῦ ἡμῶν αὐτοκράτορος τὴν πρὸς Κιλικίαν καὶ Ἀντιόχειαν.

[4]) Muralt l. l. p. 135—138.

[5]) Muralt l. l. p. 144, 10.

[6]) Muralt l. l. p. 148, 7.

κύριον Ἰωάννην [1]) πατριάρχην nominat. Liquet igitur hanc epistulam tempore, quod inter mensem Aprilem anni 1146, quo Michael, et ante diem IV. Cal. Mart. anni 1147, quo die Cosma munere remotus est, intercessit, missam esse.

Epistulae 39 inscriptio (cf. supra p. 5) indicat Leonem modo metropolitam Dristrae esse factum. Cum igitur cognitum habeamus [2]) Leonem Dristrae sive Doristori metropolitam anno 1147 sententiae synodi, quae Cosmam exauctoravit, subscripsisse, haec epistula ante annum 1147 est data.

Epistulae 42 initio Tzetzes narrat illum, ad quem has litteras scripsit, βασιλικὸν ἐπιτάφιον cuiusdam amicorum ipsius sibi vindicasse. Quem epitaphium in mortem Ioannis Comneni scriptum fuisse haud temere arbitramur. Ille autem imperator ante diem VI. Idus Aprilis anni 1143 [3]) mortuus atque post hunc diem haec epistula scripta est.

Epistula 44 τοῖς δυσὶ τῆς Σεβαστοκρατορίσσης (h. e. imperatricis Irenes Augustae, cui inscriptione epistulae 56 et prooemio Theogoniae (cf. infra cap. VII) eadem dignitas tribuitur) γραμματικοῖς inscripta est. Irenes autem et Manuelis imperatoris nuptiae inde ab a. d. VII. Id. Ian. usque ad a. d. XIX. Cal. Febr. [4]) celebratae sunt. Post has igitur nuptias hanc Tzetzes epistulam misit.

Epistula 50 data est ad Ioannem, Ephesi metropolitam, quem anno 1144 in synodo Constantinopolitana sedisse accipimus. [5])

Epistulam 59 scriptam esse anno 1147 inscriptio eius

---

[1]) Per se constat Ioannem, quem dicit noster, neminem esse alium nisi Cosmam, qui inde a mense Aprili anni 1146 usque ad a. d. IV. Cal. Mart. anni 1147 munere patriarchali functus est; cf. Muralt l. l. p. 148, 7 et 150, 5.

[2]) Le Quien, Oriens christianus, tom I, p. 1227.

[3]) Muralt l. l. p. 143, 4.

[4]) Muralt l. l. p. 145, 2; cf. quoque Ioannis Tzetzae de his nuptiis praesagium, schol. ad Allegoriarum Iliadis II, v. 67, Matranga anecd. Graec. II, p. 609, 21 sqq.

[5]) Le Quien l. l. tom I, p. 687, ubi quoque de cognomine, quod Ioanni erat, τῷ Κολπωτῷ plura inveniuntur.

indicat: Τῇ [1]) συζύγῳ τοῦ μεγάλου ἑταιρειάρχου ὅτε οἱ Ἀλαμανοὶ ἦλθον κατὰ τῆς πόλεως collata cum iis, quae Muralt l. l. pp. 151. 152. 153 de incursu exercitus Conradi III. attulit.

Epistula 66 calamitates commemorantur, quae Leoni, Dristrae metropolitae a Scythis illatae sint. Cum igitur, ut iam vidimus (p. 8), Leo circa annum 1147 hoc munere functus sit, alius Scytharum incursus hic intelligi non potest nisi ille, quem Muralt p. 157, 28 anno 1148 a Manuele imperatore propulsatum esse probavit. Illo igitur anno a. d. XVI. Cal. Aug. haec epistula scripta, missa est a. d. XIV. Cal. Aug. [2])

Horum, quae adhuc disputavimus, calculo subducto summa haec est:

epistula	10	scripta est anno 1138,
„	13	„ „ paullo post decimam,
„	15	„ „ anno 1139,
„	30	„ „ post mens. Aug. anni 1143,
„	38 }	scriptae sunt ante annum 1147,
„	39 }	
„	42	scripta est post annum 1143,
„	44	„ „ „ „ 1144,
„	45 }	scriptae sunt ante annum 1146,
„	46 }	
„	55	scripta est anno 1146,
„	59	„ „ „ 1147,
„	66	„ „ „ 1148.

Haec igitur omnia comprobant Tzetzam in his certe epistulis disponendis temporis, quo quaeque scripta sit, ordinem observasse. Neque videbimur hariolari cum nostrum

---

[1]) Per se intelligitur vocabulum τῷ, quod legimus edition. Presselianae p. 53, esse corruptum. Huc accedit, quod chil. IX, v. 622 hist. 277, qua haec epistula illustratur, scriptum invenimus:

Τῷ τότε καὶ ἡ σύζυγος τοῦ Μεγαλεταιράρχου.

[2]) Pressel. l. l. p. 58: προσκυνεῖ δὲ αὐτὴν ἕως ἐδάφους καὶ ὁ Δημητρίτζης νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας λιπὼν καὶ ζῶν μέχρι τῆς σήμερον ἥτις ἐστὶν ἐννακαιδεκάτη τοῦ Ἰουλίου μηνός. Ἐγὼ δὲ ἤδη ἑπτακαιδεκάτην ἔχων πυρετῷ διακαεῖ συνεχόμενος ταύτην ἐχάραξα ἐπιστολήν.

in reliquis quoque, quae prioris partis sunt, disponendis eandem legem esse secutum dicemus.

Nunc transeamus ad alteram epistularum partem. Iam supra vidimus epistulae 70 praefixa esse haec: Δευτέρα συναγωγή τινων τοῦ Τζέτζου ἐπιστολῶν, accedunt: τὴν γὰρ προτέραν τήν τε σχεδίαν καὶ ἀνακάθαρσιν χρηστός τις ἀφελόμενος ἄνθρωπος τὴν μὲν ἠφάνισε παντελῶς, τὴν δὲ παρέφθειρέ τε καὶ ἄλληνάλλως συνέθετο. Hinc colligimus Tzetzam nonnullas epistulas iterum disponere coactum esse, quod homo quidam χρηστὸς ironice appellatus, qui earum scripturam et priorem et emendatam, ut in suum conferret usum, petivisset, et illam omnino delevisset et hanc mutilasset eiusque ordinem conturbasset. Ad eandem spectant rem quae verba ante epistulam 76 leguntur: Κἂν αἱ ἐπιστολαὶ ἀλληνάλλως συνετέθησαν (sc. ὑπ' ἐκείνου τοῦ ἀνθρώπου χρηστοῦ), ὡς τὰ σχεδάρια τούτων ἐτύχομεν ἐφευρεῖν καὶ ὡς ταύτην (i. e. ep. 76) ἠδυνήθημεν ἀναγνῶναι (sc. ἐγράψαμεν). [1]) Tamen Tzetzam, quantum fieri posset, in his quoque epistulis disponendis temporis ordinem observavisse putaverim. Quae opinio hisce comprobatur exemplis.

Epistula 80 noster Leoni, metropolitae Dristrae, renuntiavit se puerum sibi ab illo missum excepisse calamitatesque enumerat, quas sibi per illum futuras esse praesentit. Epistula 82 legimus: Ἂν δὲ τῇ σῇ ἁγιότητι γράμματα μὲν τῆς ἡμῶν οὐθενείας ἀποκομίζοιντο ἱκετηρίαν ἔχοντα καὶ δεόμενα τί ποιητέον καθέστηκε περὶ τοῦ Σεβλάδου [2]) etc. ac luce est clarius Tzetzam epistulam 82 post ep. 80 dedisse.

Eadem ratione epistulae 85 verbis his: Ἥσθην μέν, ὅτι φιλτάτου μοι τέκνου γραφὴν ἐδεξάμην, ἤλγησα δέ, ὡς ἐπινόσως ἐκ ταύτης ἀνέμαθον ἔχειν σε etc. collatis cum epistulae 94 ad eundem datae initio: Εἴης ὑγιαίνων μοι εὐμενείᾳ θεοῦ καὶ μοίρᾳ τηρούμενος λῷονι τέκνον τριφίλητον Κλάδων Γεώργιε etc. cogno-

---

[[1]) Hart. l. l. p. 41 pro ταύτην scribere vult ταῦτα vel ταύτας et totum locum sic explicat „alterius collectionis epistulae ordinis quadam lege adstrictae non sunt („sicut priores epistulae‘ supplendum est)“.]

[2]) Hoc nomen fuit puero a Leone Tzetzae misso; cf. ep. 80.

scimus epistulam 85 nuntio de Georgii morbo modo accepto, ep. 94 posteriore missam esse tempore.

Etiam id pro certo affirmari potest epistulas 70 usque 107 post epp. 2 usque 69 scriptas esse. Nam ut omittam de epistulis 21 et 95 verba facere, quarum altera inscripta est: Πρωτονοταρίῳ τῷ πατριαρχικῷ κυρίῳ Βασιλίῳ τῷ Ἀχριδήνῳ etc., altera: Τῷ ἁγιωτάτῳ μητροπολίτῃ Θεσσαλονίκης κυρίῳ Βασιλείῳ τῷ Ἀχριδιώτῃ, hoc indicabo in extrema epistularum parte, ut in epistulis 91, 92, 93, 94, 95, 100 Tzetzam se morbo afflictum dicere, quo homines aetate provectiores laborare soleant. Tales autem querelae in prioribus epistulis non reperiuntur.

Videmus igitur Tzetzam epistulas secundum temporis, quo singulae scriptae sunt, ordinem disposuisse.

Sola epistula ad Epiphanium diaconum, quae editionis Presselianae prima est, se ad hunc ordinem non accommodat. Sed positum sit iam hic, id quod post [1]) magis intelligetur, hanc epistulum ceteris iam perfectis scriptam praebuisse ansam reliquas edendi.

3. Quae editio quo tempore sit facta, cum post [1]) aptius in quaestionem vocemus, restat, ut pauca de epistularum indole in medium proferamus. Hae epistulae ad viros mulieresque regii generis, ad principes, ad clericos summae inferiorisque dignitatis, ad amicos, ad discipulos datae, ut omnia docti illius Graeculi scripta, multifariae plenae sunt doctrinae; res e fabulis, ex historia litterarum, e rebus gestis petitas, saepenumero obtorto collo tractas orationi inseruit. Neque epistulae multum habent delectationis: saepe offendit viri difficilis morosique indignatio, saepe arrogantia, cum aliorum res sibi cordi esse professus sua ipsius eruditione, abstinentia, integritate glorietur. Magna tamen fortunae gratia est habenda, quod has epistulas nobis servavit. Nam iis permultae debentur res ad vitam Ioannis Tzetzae recte cognoscendam utilissimae, iis debetur cum aliorum tum illius operis cognitio, quod nunc tractabimus.

---

[1]) Cap. II, 5, b.

Caput II.

De variarum historiarum libro.

Ioannis Tzetzae librum variarum historiarum, quem secundum Gerbelii,[1]) qui primus e suae aetatis more[2]) in Chiliades distinxit, exemplum Chiliadum nomine vulgo appellant, cetera eius scripta praestantia superare inter omnes constat. Quam ob rem paulo fusius de eo agere necesse est. Primum igitur virorum doctorum studia in hoc libro collocata narrabo, deinde de operis indole et circuitu verba faciam, postea de inscriptione eius disputabo, denique quando scriptum sit, investigare conabor.

1. Iam anno 1546 variarum historiarum liber e codice Monacensi CCCXXXVIII[3]) a Nicolao Gerbelio foras missus est. Quam editionem omnibus cum maculis repetivit Iacobus Lectius secundo tomo libri, qui inscribitur: Poetae Graeci vett. tragici, comici, lyrici etc. Colon. Allobr. 1614. Sed cum Gerbelii editio textum, quem vocant, vitiis innumeris iisque foedissimis exhiberet deformatum, Theophilus Kiesslingius anno 1826 curam huius operis denuo edendi suscepit. Hic vir doctus textum ad fidem duorum codicum Monacensium, quorum alter fuit ille, quo iam antea Gerbelius usus erat, alter olim Augustanus hoc multo praestantior, complectens tantum tres Chiliades et quartam usque ad epistolium ad Ioannem Lachanam datum, recognovit et locos quosdam corruptos emendavit et indices uberrimos addidit. Hanc editionem, quamquam neque in vitiis textus sanandis editorem ubique

---

[1]) Cf. praef. Gerbelii, editionis Kiesslingianae, p. XXII.

[2]) Etiam Erasmus Adagia, quae edidit, in Chiliades distinxit.

[3]) Cf. edit. Kiessling. praefat., p. VII et IX.

recte iudicasse et nonnulla, quae emendanda fuissent, intacta reliquisse statuerunt, haud mediocriter tamen et is, qui eius censuram scripsit in Leipziger Litteratur-Zeitung 1826, pp. 2193 usque 2198, et Passovius in Jahrbücher für Philologie und Paedagogik 1826, vol. I part. 2 pp. 282—291 laudaverunt. Hamaker autem in bibliotheca critica nova 1828 vol. IV pp. 372 usque 403 admodum severe, sed non iniuste imperitiae et negligentiae accusavit Kiesslingium, quippe qui editorem se et commentatorem ferens nihil omnino perfecisset eorum, quae ab eo, qui eiusmodi personam suscepisset, postulari deberent. Quod iudicium multos editoris errores perstringens comprobavit et imprimis illi, quod in versus politici naturam non studiose inquisivisset, crimini dedit. Huius versus legibus investigandis iam antequam Hamakeri censura publici iuris facta esset, K. L. Struve[1]) operam dedit multosque Chiliadum locos verborum secundum eas leges transmutatione emendare conatus est. Sed hac opera eum non tantum, quantum exspectaveris, huic Tzetzae operi profuisse Duebnerus monstravit,[2]) qui in bibliotheca Parisina codicem Chiliadum saeculo decimo et quarto exaratum (n. 2644) invenit eiusque et scripturas omnes fere genuinas et scholia a Tzetza ipso ad opus scripta (cf. infra p. 32 sqq.) in lucem edidit.[3]) Restat, ut mentionem faciamus Theodori Presseli, qui et e codice a Duebnero reperto et ex altero eiusdem bibliothecae (n. 2750) omnes quae a Kiesslingianis discrepant lectiones suae epistularum (cf. supra p. 3 not. 3) editioni adiecit.

2. a. Quaerentibus, quid sibi velint Chiliades, quonam eas Tzetzes conscripserit consilio, viri docti alii alia respondent.

Gerbelius, scriptoris scriptique nimius admirator, carminum elegantiam, multifariam doctrinam, copiam ac varietatem reconditissimarum historiarum laudat, de eo vero, quod

[1]) Ueber den politischen Vers der Mittelgriechen, primum in kritische Bibliothek 1827. 3, p. 241, post separatim editum Hildesheim 1828.

[2]) Musei Rhenani, vol. IV, p. 2 sqq. 1836.

[3]) Mus. Rhen. 1836. IV, p. 1—26: Ueber eine wichtige Handschrift der Historien des Tzetzes nebst den Randbemerkungen, die derselbe bei einer späteren Lectüre seinem Buche zugefügt.

secutus sit Tzetzes, certiores nos non facit.[1]) Fabricius autem totum opus in eo versari dicit, ut velut commentarii instar sit in epistulas a Tzetza scriptas atque uberius enarret, quaecunque in epistulis ipsius memorentur res ad veterem historiam vel fabulas vel etiam philosophiam pertinentes. [2]) In eadem sententia, quamvis, ut ita dicam, inscius, est Hamaker, qui primum se vidisse arbitratur [3]) Tzetzam epistulas inde a chiliade quarta vs. 780 interpretatum esse. Cum his consentiunt Duebnerus [4]) et Presselius. [5]) Baehrius autem et Bernhardyus, nisi viros doctissimos inscitiae accusare vis, hanc opinionem videntur improbasse. Quorum, quia cum iis saepius quam cum aliis agendum nobis in hac causa erit, sententias ad verbum transscribere e re esse duxi. Scribit enim Baehrius: „Eine umfassende Compilation ist die aus 12 675 [6]) politischen Versen bestehende βίβλος ἱστορική. Dieses Werk enthält eine namhafte Zahl von einzelnen aus älteren Quellen gezogenen Erzählungen mythologischen, historischen und antiquarischen Inhalts, welche ohne ein inneres Band an einander gereiht sind.“ [7]) Bernhardyus nimia orationis obscuritate usus dicit: „Weniger ist getan für des Tzetzes grösstes Werk, eine zwar unkritische und schwatzhafte Miscellen-Sammlung, die jedoch eine Fülle von Mythen, historischem und antiquarischem Detail einschliesst, βίβλος ἱστορική oder 496 (sed cf. infra p. 27) ἱστορίαι in 13 Χιλιάδες (nach einer neueren Ueberschrift), deren 12 661 [6]) politische Verse drei Massen in 660 Kapiteln begreifen und von einem Anhang in Jamben und prosaischen Episteln begleitet werden. Dieses Musivwerk bildet aber nur die erste Abteilung (Ἄλφα) (cf. infra p. 35 sqq.); die Fortsetzung

---

[1]) Edit. Kiessling. praefat., p. XXII sqq.
[2]) Biblioth. Graec. cur. ab Harlesio vol. XI, p. 242.
[3]) Bibliotheca critica nova IV, p. 378.
[4]) Mus. Rhen. 1836, IV, p. 1.
[5]) Ioannis Tzetzae epistolae praef. p. III.
[6]) Immo 12 674, cf. infra p. 30, not. 3.
[7]) Real-Encyclopädie der klassischen Altertumswissenschaft, herausgegeben von Pauly, Bd. VI, Abteilung 2, p. 2280.

unterblieb bis auf Nachträge (oder Scholien) und Berichtigungen von Tzetzes eigener Hand nebst 107 prosaischen Episteln. [1])

b. In hac sententiarum diversitate operae pretium videtur esse ex libro ipso eruere, quonam eum consilio auctor conscripserit.

Invenimus igitur non in titulis solum nonnullis ut

περὶ Κροίσου ἱστορία πρώτη edit. Kiessl. p. 1,
ἱστορία β'. περὶ Βεχεσελήνων „ „ p. 148,
περὶ τοῦ Ἄτλαντος ἱστορία πρώτη „ „ p. 164,

sed etiam in oratione ipsa ut

chil. V, 338 Τὰ Σόλωνος πρὶν εἴπωμεν τῇ ἱστορίᾳ Κροίσου,
„ V, 802 Εἰς πλάτος ἔχεις ὄπισθεν τήνδε τὴν ἱστορίαν,
Πέμπτην καὶ ἐννενηκοστὴν ταῖς προσγραφαῖς κειμένην,
„ VI, 592 Ἐν τῷ δευτέρῳ πίνακι τετάρτην ἱστορίαν,
Τὸ νῦν Μαργίτην εὕρῃς μοι,
„ VI, 603. VII, 86. 121. 202. 222. 226. 385. 398. etc.

Tzetzam libri sui quodque caput ἱστορίαν appellare. Itaque necessario plura capita ἱστοριῶν nomine vocanda sunt, in quod quam saepissime incurrimus ut

chil. IV, 467 Δέχου τὸ ἐπιστόλιον μετὰ τὰς ἱστορίας,
„ V, 973 Τριακοστῇ καὶ πέμπτῃ δὲ ἱστοριῶν τῶν πρώην,
„ VII, 182 Ἑκατοστῇ δεκάτῃ μὲν ταῖς πρώην ἱστορίαις,
„ X, 554 Ταῖς ἱστορίαις εὕρῃς μοι κειμένην ταῖς δευτέραις,
„ IV, 781. V, 802. VII, 226. 793. VIII, 10. IX, 246. 337. X, 478. 610. 674. XI, 695 etc.

Hae historiae, quarum argumenta e fabulis, e litterarum historia, e rebus gestis petita sunt, primo obtutu nulla lege adstrictae esse videntur. Sed si propius ad eas accesserimus, libro ipso adiuvante eam legem cognoscemus.

Legimus enim

chil. III, 1 Τὴν τοῦ Τριταίχμου σύμπασαν εἰς πλάτος ἱστορίαν
Ἔχεις κειμένην ἀκριβῶς ἐν τῷ ἐπιστολίῳ·

---

[1]) Grundriss der griechischen Litteratur. Teil II, Abteilung 2, pag. 686².

Ἥπερ ὁ Βαβυλώνιος υἱὸς τοῦ Ἀρταβάζου
Τριταίχμης ὁ ἀγέρωχος ἐκεῖνος ἐγαυρία
Κτηνοτροφίᾳ περισσῇ προσόδῳ τε χρημάτων.
Τούτῳ φορβάδες ἵπποι γὰρ χωρὶς τῶν ἄλλων πάντων
Μυριοστὺς καὶ χιλιὰς ἑξάκις μετρουμένη,
Κήλωνες ὀκτακόσιοι χωρὶς τῶν ἐν πολέμοις,
Κύνες μόλις τρεφόμενοι ἐν τέτρασι χωρίοις,
Ἡμερησία πρόσοδος ἐκ τῶν λοιπῶν χωρίων
Ἀρτάβη πλήρης, γέμουσα χρυσείων νομισμάτων.

Quos ultimos novem versus in epistula ad Ioannem Lachanam data chil. IV, 532 sqq. ad verbum reperimus. Atque eandem rem, ubicunque in prioribus quattuor chiliadibus ad epistolium revocamur, deprehendimus, ita ut iidem sint versus

chil.	III, 401—409	atque epist. ad Ioan. L. chil.	IV, 605—611,
„	III, 894—896	„ „ „ „ „ „	IV, 620—622,
„	III, 990—999	„ „ „ „ „ „	IV, 628—637,
„	IV, 203—210	„ „ „ „ „ „	IV, 648—655,
„	IV, 315—319	„ „ „ „ „ „	IV, 680—684,
„	IV, 390—392	„ „ „ „ „ „	IV, 703—705,
„	IV, 395—398	„ „ „ „ „ „	IV, 707—710.

Quae cum ita sint, etiam verba

chil. III, 30 Ἔχεις καὶ τὴν τοῦ Πυθίου σύμπασαν ἱστορίαν
Ἐν τῷ ἐπιστολίῳ μου στενῶς πεπλατυσμένος.[1])

et chil. III, 37 Τὰ δ' ἃ Δαρείῳ δέδωκεν ὕστερον δὲ τῷ Ξέρξῃ
Ἔχει τὸ ἐπιστόλιον εἰς πλάτος γεγραμμένα

ad epistulam, quam noster Ioanni Lachanae dedit, pertinere

---

[1]) Hunc versum corruptum esse iam vidit Kiesslingius edit. p. 81 not. Sed cum voce πεπλατυσμένος in πεπλατυσμένην mutata στενῶς non convenire arbitratur, errat. Immo hunc verborum lusum amat Tzetzes. Tamen recipienda est codicum Parisinorum scriptura πεπλατυσμένως, quae commendatur prooemii Allegoriarum Iliadis versibus 478 et 479:

Εἶτα λοιπόν μοι μετ' αὐτὰ μάθῃς τὰ τοῦ πολέμου
κατὰ λεπτὸν τὰ σύμπαντα στενῶς πεπλατυσμένως

et carminis de metris versu (Cramer anecd. Gr. Oxon. III, p. 332, 29) hoc:

Ἔγραψα, παρεθέμην σοι στενῶς πεπλατυσμένως.

iure conicimus. Quae si requisiverimus, referenda esse inveniemus ad chil. IV, 545—550. Iam ex his, quae attuli, facile cognoscitur epistulam ad Ioannem Lachanam (chil. IV, 472—780) et historias, quae illi antecedunt (chil. I, 1 — IV, 467), inter se cohaerere. Quam cohaerentiam adeo esse arctam, ut omne nomen, omnis res memorabilis, cuius in epistula mentio fit, ἱστορίαις diserte tractetur, idemque ordo, quo res in epistula enarrantur, in historiarum compositione observatus sit, intelligimus comparantes has cum illa.

Hac re cognita facile coniectura colligimus, ceteras historias eodem consilio conscriptas esse. Quae coniectura quam certa sit, nunc demonstrabimus.

Historiam 84, chil. VI, 846—857 sic scriptam legimus:

Ἡ ἱστορία κεῖται μὲν ἐν τῷ ἐπιστολίῳ·
Παῖς Φιλοποίμην Κραύσιδος [1]) ἦν, βασιλεὺς Ἑλλάδος,
Ἄμορφον δ' εἶχε τὴν μορφήν· παρά τινος κληθεὶς δὲ
Ἀπῆλθεν ὡς πρὸς ἄριστον πρὸ χρόνου τοῦ ἀρίστου,
Ἀπόντος δὲ τοῦ τοῦτον μὲν τῷ τότε κεκληκότος,
Ἰδοῦσα τοῦτον ἡ γυνὴ τελοῦντα τῶν ἀμόρφων
Οἰκέτην τε νομίσασα σχίζειν κελεύει ξύλα.
Ὁ δ' ὢν ἐπιεικέστατος τὸ κελευσθὲν ἐποίει.
Ὡς δ' ὁ καλέσας ἐπελθὼν ἰδὼν τὸ πεπραγμένον,
Τί τοῦτο; ἀνεβόησεν· ὁ Φιλοποίμην λέγει
Τί δ' ἄλλο ἢ τιμώρημα τῆς δυσειδοῦς μορφῆς μου;
Ἔχεις τὴν Φιλοποίμενος ῥηθεῖσαν ἱστορίαν,

in epistula undecima haec exstant:

Φιλοποίμην γὰρ ἐκεῖνος ὁ Κραύσιδος στρατηγὸς ὑπῆρχεν Ἑλλάδος, ἀνὴρ δὲ τἄλλα γενναῖος τελῶν ἐνέδει μορφῆς. Ἔνθεν τοι καὶ πρὸς ἑστίασιν εὐπεριφανοῦς τινος κληθεὶς Μεγαρέως καὶ ἀπελθὼν τῆς ἀπρεποῦς ἐκείνου μορφῆς πρέπουσαν τιμωρίαν ἐφεύρατο. Ἔτυχε γὰρ οἴκοι τῷ τότε μὴ παρεῖναι τὸν Μεγαρέα, ἡ δὲ τοῦ Μεγαρέως ἐκείνου γυνὴ δυσειδῆ τὸν Φιλοποίμενα βλέψασα ξύλα σχίζειν κελεύει θεράποντα τοῦτον νομίσασα, ὁ δ' ὢν τὸν τρόπον ἐπιεικὴς τὸ κελευσθὲν διειργάζετο. Ὡς δ' ὁ Μεγαρεὺς ἐλθὼν καὶ

---

[1]) Falso Kiesslingius correxit Κραύγιδος, nam codd. Paris. in titulo historiae 84 et v. 847 suppeditant Κραύσιδος.

ἰδὼν τοῦτον ἀνε[κέ]κραγε· τί τοῦτο δρᾷς, ὦ Φιλοποίμην [1]; τί δ' ἄλλο, φησὶν ἐκεῖνος ἢ κακᾶς μορφᾶς τίννυμι δίκαν;

His enarrationibus collatis neminem fugit verba chil. VI, 846 non alio spectare nisi ad epistulam modo laudatam. Eodem modo verbis

chil.	VIII, 257	revocamur	ad	epistulam	39,
„	VIII, 283	„	„	„	39,
„	IX, 355	„	„	„	58,
„	IX, 733	„	„	„	60,
„	IX, 966	„	„	„	64,
„	X, 364	„	„	„	70.

Re autem diligentius examinata efficitur:

epist.	2	illustrari	historiis	1. 2.	chil.	V, 202—308,
„	3	„	„	3. 4.	„	V, 309—337,
„	4	„	„	5—11	„	V, 338—509 etc.,
„	5	„	„	12. 13,		
„	6	„	„	14—71,		
„	7	„	„	72. 73,		
„	8	„	„	74—79,		
„	9	„	„	80—83,		
„	11	„	„	84,		
„	12	„	„	85—87,		
„	13	„	„	88—109,		
„	14	„	„	110—115,		
„	15	„	„	116—118,		
„	16	„	„	119—128,		
„	17	„	„	129—131,		
„	18	„	„	132—141,		
„	19	„	„	142—150,		
„	20	„	„	151—153,		
„	21	„	„	154,		
„	22	„	„	155,		
„	23	„	„	156—158,		
„	26	„	„	159. 160,		
„	28	„	„	161,		

---

[1]) Falso Pressel l. l. scripsit ὦ φίλος ποίμην.

epist. 30	illustrari	historiis	162,
„ 31	„	„	163,
„ 32	„	„	164. 165,
„ 34	„	„	166. 167,
„ 35	„	„	168. 169,
„ 36	„	„	170,
„ 38	„	„	171—181,
„ 39	„	„	182—187,
„ 40	„	„	188,
„ 41	„	„	189. 190,
„ 42	„	„	191—228,
„ 43	„	„	229. 230,
„ 44	„	„	231,
„ 46	„	„	232—241,
„ 47	„	„	242—245,
„ 48	„	„	246—248,
„ 50	„	„	249. 250,
„ 51	„	„	251—253,
„ 53	„	„	254. 255,
„ 54	„	„	256,
„ 55	„	„	257—259,
„ 56	„	„	260—262,
„ 57	„	„	263—270,
„ 58	„	„	271—274,
„ 59	„	„	275—278,
„ 60	„	„	279—288,
„ 61	„	„	289—296,
„ 63	„	„	297,
„ 64	„	„	298. 299,
„ 65	„	„	300—302,
„ 66	„	„	303—314,
„ 67	„	„	315—321,
„ 70	„	„	322—324,
„ 71	„	„	325—333,
„ 72	„	„	334—343,
„ 73	„	„	344—347,
„ 74	„	„	348—352,

epist.	75	illustrari historiis	353—365,
„	76	„ „	366—376,
„	77	„ „	377—388,
„	78	„ „	389. 390,
„	79	„ „	391. 392,
„	80	„ „	393—396,
„	81	„ „	397,
„	82	„ „	398—401,
„	83	„ „	402—412,
„	84	„ „	413—415,
„	86	„ „	416,
„	87	„ „	417. 418,
„	88	„ „	419—421,
„	89	„ „	422—430,
„	92	„ „	431—441,
„	93	„ „	442—446,
„	94	„ „	447—456,
„	95	„ „	457—460,
„	97	„ „	461,
„	98	„ „	462—466,
„	99	„ „	467—469,
„	100	„ „	470,
„	101	„ „	471,
„	102	„ „	472—474,
„	104	„ „	475—484,
„	105	„ „	485,
„	106	„ „	486—492,
„	107	„ „	493—496.

Unum restat, ut historias 1—23, quae inde a chil. IV, 781 usque ad chil. V, 185 continentur, consideremus. Sed his historiis Tzetzam epistulam ad Epiphanium diaconum, quae editionis Presselianae prima est, interpretatum esse cum e rebus, quae eaedem et hac et illis enarrantur, tum elucet e verbis historiae 23, chil. V, 186:

Τῆς πρώτης νῦν ἐπιστολῆς ἔχεις τὰς ἱστορίας
Εἰκοσιτρεῖς εἰς ἀριθμὸν τὰς πάσας ὑπηργμένας.

Sunt igitur chiliades nihil aliud nisi commentarii in epistulas a Tzetza ipso scripti.[1]) Quae res abunde confirmatur ordine, secundum quem haec scripta Tzetzae in codice Parisino 2644 disposita[2]) inveniuntur. Historiis enim 141, quae priores sunt, subiuncta est epistula ad Ioannem Lachanam data hisce verbis

chil. IV, 467 Δέχου τὸ ἐπιστόλιον μετὰ τὰς ἱστορίας.

Sequitur epistula ad Epiphanium diaconum, cui viginti tres historiae, quibus explanatur, adiunctae sunt hoc titulo: Τοῦ αὐτοῦ Ἰωάννου τοῦ Τζέτζου ἕτεραι ἱστορίαι καὶ λέξεις ἱστοριώδεις τῆςδε τῆς γραφείσης ἐπιστολῆς. Deinceps ceterae epistulae ordine non interrupto secundum Duebnerum post chil. V, v. 192, secundum Presselium ante chil. V. historiam primam exstant, quas historiae, quibus illustrantur, hac sequuntur inscriptione: Ἱστορίαι ἐξ ἀρχῆς αὐτῆς τῆς δευτέρας ἐπιστολῆς μέχρι τέλους τῶν ἑκατὸν ἑπτὰ ἐπιστολῶν[3]).

c. Ex hac, quam modo commemoravimus, dispositione iam colligi potest totum hunc librum divisum esse in partes tres, quarum una constat ex historiis inde a chil. I, 1 usque

---

[1]) Id iam librarius cod. Monacensis CCCXXXVIII intellexit, qui ad calcem Chiliadum posuit epistulas nonnullas hac inscriptione praefixa: Τζέτζου ἐπιστολαὶ διὰ ἱστοριῶν τινων τῶν προγεγραμμένων. cf. edit. Kiessl. p. 523.

[2]) Testibus Duebnero Mus. Rhen. IV, p. 7 et Presselio l. l. praefat. p. V et edit. p. 3, not. 4.

[3]) Tzetzes autem ipse voluit epistulas sic disponi, ut omnes centum et septem epistulae ordine non interrupto scriberentur easque sequerentur historiae et alterius et tertiae Chiliadum partis i. e. inde a chil. IV, vs. 781 usque ad finem libri. Hic enim sensus est scholii primae epistulae appositi, quod Matranga anecdot. Graec. I, p. 13, not. 2 e codd. Vatic. sic affert: Αὕτη ἡμετέρα γραφὴ κατὰ τὸ πρωτότυπον ἐγράφη, ὅπερ τυχαίως καὶ αὐτοσχεδίως γράφων ἐγὼ οὕτως τὴν τάσιν (al. τάξιν) ἀτάκτως καὶ πεφυρμένως ἐποιησάμην· τοῖς δὲ λοιποῖς μεταγράφουσιν εἶπον καὶ συνέθεντο (al. λέγω καὶ συνθέσθαι) καθεξῆς ἀδιασπάστως τὰς πάσας ἐπιστολάς, καὶ ἑξῆς πάλιν συνηνωμένως τὸν τῇδε κείμενον τῶν βραχειῶν ἱστοριῶν βραχύτατον πίνακα καὶ τὸν τῶν λοιπῶν ἱστοριῶν μέγιστον πίνακα· χοιριδίου δὲ υἱῷ ἐμπιστεύσας τὴν παροῦσαν μεταγραφὴν καὶ δοὺς καὶ μισθὸν τούτῳ καλλιγράφου λόγου ἀξίου (scrib. ἄξιον) καὶ εἰπὼν οὕτω μεταγράψαι καὶ αὐτόν, ὡς χοῖρον ὄντως οὐχ εὗρον καταπειθῆ, ἀλλὰ πολλαχῶς κοπρώσαντα τὸ βιβλίον.

ad chil. IV, 466, altera ex historiis inde a chil. IV, 781 usque ad chil. V, 192, tertia ex historiis, quae leguntur inde a chil. V, 202 usque ad finem operis.

Huic rei certa fides iis affertur, quae nunc in medium proferemus.

Tzetzes imprimis in extrema libri parte persaepe nos ad historias, quibus iam antea eandem tractavit rem, revocat. Atque id quidem si fit formulis

τῶν πρώην vel ταῖς πρώην scil. ἱστοριῶν sive ἱστορίαις chil. V, 973. VI, 718. VII, 182. IX, 246. XI, 887. XII, 360. 705,
vel τοῖς ὄπισθεν scil. τόποις, εὑρήσεις ὄπισθεν chil. VI, 603. 718. X, 386. XI, 838,
τοῖς πρίν vel ταῖς πρίν chil. VII, 86. VIII, 11. IX, 337. XIII, 95,
ταῖς πρώταις chil. VII, 226. 793. X, 478. XI, 695. XII, 495. 996. 998. XIII, 89. 286,
ἐν τῷ πίνακι τῶν πρὶν ἱστοριῶν chil. X, 674,
ἐν πρώτῳ πίνακι chil. VII, 202. 385. VIII, 192. IX, 896. 913,
ἐν τῷ πρώην πίνακι chil. VII, 398,

historiae, quibus epistula ad Ioannem Lachanam illustratur, respiciuntur, formulae autem

ἐν τῷ δευτέρῳ πίνακι chil. VI, 592. X, 263,
ἐν τῷ δευτέρῳ πίνακι τῷ πάνυ σμικροτάτῳ chil. XIII, 148

ad epistulam, quae editionis Presselianae prima est, spectant, denique formulae

ἐν τούτῳ τῷ πίνακι chil. VII, 228,
τῷ νῦν πίνακι chil. VII, 183,
τοῦδε τοῦ πίνακος chil. VIII, 909,
ἐν τῷ παρόντι πίνακι chil. X, 788. XI, 96,
ταῖς ἱστορίαις ταῖς νῦν chil. X, 610. XIII, 342,
εἰς τὴν τῶν νῦν chil. XIII, 99,
τούτων chil. XI, 834,
ταῖςδε ταῖς ἱστορίαις chil. XI, 890. XII, 458,
τῶν τῇδε chil. XII, 516. 549,
εἰς τούτων τήν chil. XII, 548,
τῷδε τῷ καταλόγῳ chil. XIII, 144

ad extremam Chiliadum partem, quae constat ex historiis in epistulas 2 usque 107 editionis Presselianae scriptis, referendae sunt.

Sed cum haec demonstrent Tzetzam in partes supra indicatas, quarum quamque appellat πίνακα, librum divisisse, sunt loci, qui huic observationi repugnare videantur. Verba quae leguntur

chil. VII, 181 Περὶ τοῦ Κυρηναίου μὲν εἰρήκειμεν σιλφίου
Ἑκατοστῇ δεκάτῃ μὲν ταῖς πρώην ἱστορίαις.
Τῷ νῦν δὲ πάλιν πίνακι τεσσαρακοστογδόῳ
Ἣ καὶ πολλῷ καθέστηκε καλλίων τῆς προτέρας

illa quidem corrupta esse iam Fabricius [1]) vidit. Sed facile conicimus propter ea, quae sequuntur, versu 183 pro τεσσαρακοστογδόῳ scribendum esse τεσσαρακοστογδόῃ scil. ἱστορίᾳ, quam scripturam etiam codices Parisini suppeditant [2]). Neque in verbis

chil. XII, 555 Ὁ Πολυκλείτειος κανὼν τοῖς ὄπισθεν ἐγράφη
Εἰς τὴν ἑκατοστὴν καὶ ἐννενηκοστὴν καὶ πρώτην

offendimus. Nam quamquam, ut supra (p. 22) demonstravimus, verba τοῖς ὄπισθεν reliquis locis ad primam huius operis partem spectant, nulla tamen impedimur re, quominus ea hoc loco ad tertiae partis historiam 191 referamus, quoniam illis nihil aliud nisi iam antea [3]) eandem rem tractatam esse indicatur. In magnam autem incurrimus difficultatem, si scriptum invenimus

chil. IX, 895 περὶ τοῦ Κυρηναίου σοι Σιλφίου ἱστορία
Τῷ πρώτῳ κεῖται πίνακι ἑκατοστὴ δεκάτη
Ἐν τῷ δευτέρῳ κεῖται δὲ τεσσαρακοστογδόη
Ἑκατοστὴ δὲ πάλιν δὲ καὶ ἐννακαιδεκάτη

et chil. X, 273 Διακοσιοστή ἐστιν ἐν πίνακι δευτέρῳ,
Ὅπουπερ ταύτην ἐφευρὼν ἀκριβεστάτως μάθε

---

[1]) Biblioth. Graec. cur. ab. Harl. vol. XI, p. 242 sq. Kiesslingius, qui alibi vel errores Fabricii probat, hic illum recte iudicantem non secutus est.

[2]) Cf. Pressel. l. l. p. 122 et chil. IX, 897.

[3]) Voce ὄπισθεν Tzetzam quam saepissime similiter usum esse vidit Lehrsius, Die Pindarscholien, p. 81. 102.

et chil. X, 553 Ἑκατοστὴν καὶ τεσσαρακοστὴν ἀλλὰ καὶ τρίτην
Ταῖς ἱστορίαις εὕρῃς μοι κειμένην ταῖς δευτέραις.
Haec enim revera non ad alteram, ut quae tantum e viginti tribus historiis constet, sed ad tertiam Chiliadum partem referenda sunt. Res autem eo magis est mira, quo diligentiorem reliquis locis, quibus ad res iam tractatatas revocamur, Tzetzam in πίναξιν et historiis indicandis deprehendimus. Huc accedit, quod versibus modo allatis ordo, quem quaeque earum historiarum in tertia operis parte sequitur, recte significatur. Atque hic dixerit quispiam δευτέρῳ et δευτέραις vocabula, ut quae offendant, emendanda esse. At cum codices Parisini, quorum auctoritas in vitiis corrigendis plurimum valet, hic ab editione Kiesslingiana non discrepent, nec via, qua hae corruptelae exortae sint, excogitari possit, a Tzetza ipso hos versus sic ut leguntur profectos esse putamus. Rem igitur alio modo expedire studentibus nobis facile hoc veniat in mentem Tzetzam alterius Chiliadum partis, quippe quae omnium brevissima sit, his locis ratione non habita partem, quae tertia sit, consulto appellasse alteram. Sed si consideramus nostrum verbis chil. X, 263
Δεκάτην ταύτην εὕρῃς δὲ πίνακι τῷ δευτέρῳ
alteram partem recte indicavisse, non probabile videtur eum decem tantum versibus interpositis tertiam partem significasse iisdem vocabulis. Crediderim igitur Tzetzam, qui festinanter scriberet,[1]) hic ut alibi (cf. infra p. 32 sqq.) lapsum esse neque in recensendo opere (cf. infra pp. 33. 40) hos errores animadvertisse. Cum hac opinione diligentia illa quidem, quam reliquis locis in πίναξιν indicandis reperimus, sane pugnat, sed rem alia ratione enucleare non possum.

d. Quodsi igitur Tzetzam cernimus historias ordine, quo in Chiliadibus inveniuntur, servato enumerare et notare, facile in hanc incidimus cogitationem eum indice quodam usum esse, qui, secundum quem ordinem historiae disponendae

---

[1]) Cf. chil. VIII, 181: Ὁ Τζέτζης κἂν ἀβίβλης γάρ, κἂν γράφῃ καὶ σχεδίως
Ἅπερ ὁρᾶτε σύμπαντα, καὶ τάχει ταχυτέρῳ etc.
et chil. VIII, 267. 527. X, 367.

essent, indicaret. Atque revera hunc indicem nostro praesto fuisse e multis Chiliadum locis effici potest.

Chil. VI, 389 Ἂν γὰρ ὡς Τζέτζης πλατυσμῷ τὰς ἱστορίας γράφω,
Πολλαί κεν δεκάδες δευοίατο οἰνοχόοιο,
Πολλαὶ ἂν ἀπολείψειαν γραφῆναι ἱστορίαι
Τῶν προσγραφῇ τοῦ πίνακος οὐσῶν συντεθειμένων.
Ἡ βίβλος γραφομέναις γὰρ εἰς πλάτος οὐκ ἀρκέσοι·
Μὴ καὶ στενῶς δέ, δέδοικα. μέχρι γὰρ οὗ νῦν γράφω,
Ἐχρῆν κατ' ἀναμέτρησιν καὶ τὸ ποσὸν τῆς βίβλου
Τρίτην πρὸς ἑβδομήκοντα γράφειν με ἱστορίαν
Γράφω δὲ νῦν πεντηκοστήν. διὸ στενοῦν με δέον,
Ὡς προσγραφῆς τοῦ πίνακος τὴν πᾶσαν ἱστορίαν
Ἐν τῇ παρούσῃ δυνηθῶ συμπερικλεῖσαι βίβλῳ.

Tzetzes historias breviores se reddere dicit oportere, quippe qui quinquagesimam historiam scribat, spatio libri dimenso scribere debeat septuagesimam tertiam. Sed libri spatium ad historias noster dimetiri non potuit, nisi, quot earum scribendae essent, litteris mandavisset. Eodem spectant, quae leguntur

chil. VII, 748 Ἅπερ εἰ παρενέγραφεν ὁ Τζέτζης τῷ βιβλίῳ,
Οὐκ ἂν αὐτὰ ἐχώρησε καὶ μόνα τὸ βιβλίον,
Ταῖς δ' ἱστορίαις ἔχρηζεν ἑτέρων ἂν βιβλίων,
Ὡς εἰ καὶ πάντα ἔγραφε τὰ ἕτερα πλατέως.
Ἱστοριῶν δὲ ἕνεκα χωρήσεως συσφίγγει,
Ὅπως χωρήσῃ σύμπαντα τὰ πίνακος ἡ βίβλος.
Διὸ βραχέα λέξαντες περὶ Ἀπολλοδώρου,
Πῶς ὡς ὁ Τζέτζης οἴεται ταῦτα ψευδῆ τυγχάνειν,
Ἔκτοτε περισφίγγοιμεν λοιπὸν τὰς ἱστορίας,
Ὡς ἂν ἰσχύσαιμεν αὐτὰς πάσας ἐνθάδε γράψαι,
Ὁπόσας ἡ τοῦ πίνακος ἐπιγραφή μοι φέρει.

Ad haec, quae adhuc protulimus, si adsumpseris verba

chil. VIII, 266 Εἰς στόμα δωδεκάκρουνον, καὶ τίς ἡ Καλλιῤῥόη,
Προφθάσας σοι κατέλεξα, ταχυγραφῶν, ὡς οἶδας,
Καὶ μηδ' εἰδὼς ἂν κάτωθεν κεῖται τὰ Καλλιῤῥόης
Ἔχεις λοιπόν μοι καὶ αὐτὴν ἤδη προγεγραμμένην,

quibus Tzetzes, quod superiore historia ea, quae sub huius titulo scribenda fuerint, dixerit, se excusat; si consideraveris, quot historiae fere nihil aliud praebeant, nisi quod nos ad

unam alteramve superiorum historiarum revocent ut hist. 371. 387. 395. 403. 419. 422. 426; si circumspexeris chil. X, 459

῾Ο Τζέτζης οὐχὶ βούλεται καὶ τῇδε παρεγγράφειν,
Μή πως καταναλώσειε τοῖς πλατυσμοῖς τοὺς χάρτας.
Πολλαὶ δὲ δεκάδες δευοίατο οἰνοχόοιο,
Πολλαὶ ὑπεσχημέναι δὲ γραφῆναι ἱστορίαι
Τῇ θέσει τῇ τοῦ πίνακος ἐκλείψωσι γραφῆναι,
Οἷα τῆς βίβλου τῶν χαρτῶν τῇσδε προπληρωθέντων

pro certo affirmare licebit nostrum prius quam tertiae Chiliadum partis historiae componeret ex epistulis 2 usque 107 rebus, quae tractandae essent, excerptis indicem effecisse eumque historiis extremae partis antepositum [1]) ἐπιγραφὴν (chil. VII, 758) sive προσγραφὴν (chil. VI, 392. 398) sive θέσιν (chil. X, 463) τοῦ πίνακος appellavisse. His cognitis non temere arbitramur etiam primae et alteri operis parti huiusmodi ἐπιγραφὴν praefixam fuisse.

Hos indices comprehendisse, quos cuique historiae inscriptos legimus titulos et ea, quae adhuc disputavimus, et nomen ipsum indicant. Si igitur in fine historiae 23 chil. V, 182 legimus:

᾿Εν δὲ τῷ κατὰ Πλάτωνος δράματι γεγραμμένῳ
Πλέον κωμικωτέρῳ μὲν ἢ τραγῳδίας ὄντι
Δοκῶ τὸν στίχον ἔλεξεν, ὃς τῇ ἀρχῇ ἐγράφη·
Αὐτοῖς γὰρ ἐμπαίζουσιν οἱ μωροὶ βροτῶν

et titulum illius historiae invenimus hunc: περὶ τοῦ Διονυσίου στίχου τοῦ· Αὐτοῖς γὰρ ἐμπαίζουσιν οἱ μωροὶ βροτῶν, si comparamus et verba chil. VI, 592:

᾿Εν τῷ δευτέρῳ πίνακι τετάρτην ἱστορίαν
Τὸ νῦν Μαργίτην εὕρῃς μοι· ἐπιγραφὴν δὲ φέρει
Τοῦ Μελιτίδου πέρι τε καὶ μωραινόντων ἄλλων

cum titulo historiae quartae partis alterius: περὶ Μελιτίδου καὶ λοιπῶν μωρῶν, et verba

chil. XIII, 145 Τὴν μὲν Φαλάριδος τρανῶς εὑρήσεις ἱστορίαν
Τριακοστὴν καὶ πρώτην μὲν τῷδε τῷ καταλόγῳ
᾿Επιγραφὴν δὲ φέρουσαν, ἣν ἂν εὑρεῖν μοι ζήτει,
Περὶ τοῦ Τεύκρου Φάλαρις ὃν εἶχε γραμματέα

---

[1]) Cf. Duebner., qui Mus. Rhen. IV, p. 7 indicat in cod. Paris. 2644 historiis tertiae Chiliadum partis πίνακα i. e. indicem praefixum esse.

cum historiae 31 tertiae partis inscriptione hac: περὶ Τεύκρου γραμματέως τοῦ Φαλάριδος: vix dubitari potest, quin Tzetzes ipse historiis titulos ex indice inscripserit.[1]) His rebus cognitis etiam apparet, qui fieri potuerit, ut noster tertiae Chiliadum partis historias scripturus iam sciret numerum earum fore 496. Leguntur enim finita interpretatione epistulae ad Epiphanium diaconum datae chil. V, 193 haec:

Αἱ δὲ μὲν ἱστορίαι πεντηκόσιαι πισύρων ἄτερ,
Εἴκοσι δ' ἦσαν ὄπισθεν πρὸ τῶνδε ἰδὲ τρεῖς ἄλλαι,
Γίνονται πεντηκόσιαι δέκα σὺν δ' αὖ ἐννέα·
Ἄλλαι δ' αὖ ἑκατὸν καὶ τεσσαράκοντα μία τε
Πρώτην τάξιν ἔχουσιν ἐνὶ προθύροισι βίβλοιο·
Λοιπὸν ὁμὰς τελέει τῆσδ' ἱστοριῶν βίβλοιο
Ἓξ ἑκατοντάδες, ἓξ δεκάδες, πλέον οὔτι δὲ τῶνδε.
Ἃς δέ τινες σύλησαν ἀνακτορέων ἀπὸ δόμων
Τῶνδε τόποι κενεοί. ταύτας γράφε δ' εἴ που ἐφεύρῃς.

3. Ex his cognoscitur versibus, quot historiae et omni Chiliadum parte et toto libro contineantur: tertiae partis sunt 496 historiae, alterius 23, primae 141, totius igitur operis 660. Eum numerum si cum historiarum, quae ad nostram aetatem pervenerunt, numero comparamus, librum nos habere integrum satis apparet. Mire igitur Fabricius:[2]) ‚Historiae, ait, debent esse sexcentae et sexaginta. Sed exstant tantum sexcentae, et sexaginta illae perierunt iam ipsius fortassis Tzetzae aetate surreptae', magis mire Kiesslingius [3]) ex loco, quem transscripsimus, credit intelligi posse, quanta huius operis pars perierit.[4]) Neque in eundem errorem non lapsus esse videtur Bernhardyus, cum dicit [5]): ‚Chiliades, ursprünglich grösser und gross angelegt (V, 193 ff.)'.

---

[1]) Cf. quoque inscriptionem historiae 32 tertiae Chiliadum partis hanc:

Περὶ Ἀρχιμήδους, περὶ οὗ προεῖπον τῇ λε'.

[2]) Biblioth. Graec. vol. XI, p. 242.

[3]) P. 164, not. ad vers. 193.

[4]) De quo errore Kiesslingius ab Hamakero biblioth. crit. nov. IV, p. 327 iam vehementer vituperatus est.

[5]) Grundriss der griech. Litteratur II, 2, p. 687.

Sed cum e comparatione epistularum editionis Presselianae cum historiis inde a chil. IV, 781 usque ad libri finem, quibus illae illustrantur, nihil desiderari efficiatur, in epistula ad Ioannem Lachanam data a. v. 715 usque ad finem multas reperimus res, quarum explicatio in prima Chiliadum parte non exstat. Ratione igitur, qua Tzetzes in epistulis interpretandis usus est, adhibita cognoscimus historias excidisse fere undetriginta. Scribendae enim erant

hist.	142	περὶ	τῆς Μέμνονος στήλης	ad.	chil.	IV, 715,
„	143	„	Δαιδάλου καὶ Ἰκάρου	„	„	IV, 723,
„	144	„	Τιμοθέου	„	„	IV, 730,
„	145	„	Βελλεροφόντου	„	„	IV, 732,
„	146	„	Διονυσίου	„	„	IV, 734,
„	147	„	Περσέως	„	„	IV, 735,
„	148	„	Φύτωνος			
„	149	„	Ψαμηνίτου	„	„	IV, 736,
„	150	„	Κροίσου			
„	151	„	Τελία			
„	152	„	Τίμωνος	„	„	IV, 737,
„	153	„	Αἴαντος	„	„	IV, 738,
„	154	„	Θερσίτου	„	„	IV, 739,
„	155	„	Τουλλίου Σερβίου	„	„	IV, 740,
„	156	„	Ἀννίβα	„	„	IV, 742,
„	157	„	Θεμιστοκλέους	„	„	IV, 746,
„	158	„	Εὐμένους	„	„	IV, 747,
„	159	„	Φαληρέως Δημητρίου	„	„	IV, 748,
„	160	„	Βελισαρίου	„	„	IV, 751,
„	161	„	Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος	„	„	IV, 759,
„	162	„	Σκηπίωνος	„	„	IV, 761,
„	163	„	Γαΐου τοῦ Καίσαρος			
„	164	„	Σεσώστριδος	„	„	IV, 762,
„	165	„	Βαβυλῶνος	„	„	IV, 764,
„	166	„	Τροίας	„	„	IV, 764,
„	167	„	τῆς Περσέως ῥώμης	„	„	IV, 766,
„	168	„	τοῦ Ἡρακλέος τάχους			
„	169	„	τῆς Παλαμήδους φρονήσεως	„	„	IV, 767,

hist. 170 περὶ τοῦ Πινδαρείου· τίδ' ἄρα τίς;
τίδ' οὔτις, σκιᾶς ὄναρ
ἄνθρωπος ad chil. IV, 774.[1])

Sed eas historias iam, antequam hoc opus in lucem ederetur, periisse versus chil. V, 200. 201 testantur. Ad eandem pertinent rem verba, quae in codd. Paris. post chil. IV, 466 scripta inveniuntur [2]) haec: ζήτει ἐφευρεῖν, εἴ τις ἔχει τὰς λοιπὰς ἱστορίας καὶ γράψον ταύτας, ἀλλὰ καὶ ὄπισθεν ἐν τῷ τῶν ἱστοριῶν πίνακι· ἀναπλήρωσον αὐτῶν τὰ κεφάλαια. De modo autem, quo illae historiae perierint, Tzetzes ipse nos certiores facit verbis, quae legimus et ante chil. VI, 224 haec: Ἔκειτο δὲ ἡ ἱστορία ἐν τῇ πολυΐστορι πρώτῃ ἐπιστολῇ. Στρατιῶται δὲ ἐν παλατίῳ βιβλίδια πολλὰ τῶν ἐμῶν πονημάτων εὑρόντες ἐν κέλλῃ τινὸς τῶν ἐμῶν ὁμιλητῶν τεθνηκότος ἀπημπολήκασιν, ὃ μὲν τεσσάρων χαλκῶν, ὃ δὲ ἕξ, καὶ τἄλλα πάντα ὁμοίως, ὡς ἀναζητῶν ταῦτα παρά τινος ἔμαθον τῶν περὶ τὴν βασιλέως αὐλὴν et ante chil. VI, 599 huiuscemodi: Κεῖται δὲ ἡ ἱστορία ἐν τῷ τῶν προτέρων ἱστοριῶν πίνακι, ρμα', ἀτελὴς οὖσα καὶ αὐτή, βραχεῖ τινι λόγῳ· αἱ δὲ λοιπαὶ μετ' αὐτὴν ἠφανίσθησαν τοῖς στρατιώταις καὶ ἐζήτει τῶν φιλοπόνων τις ταύτας ἐκ τῶν ὠνησαμένων εὑρεῖν καὶ μεταγράψαι καὶ συνθεῖναι ταῖς λειπούσαις. E quibus cognoscimus historiae centesimae quadragesimae primae extremam partem et historias in epistulam ad Ioannem Lachanam inde a versu 715 scriptas e Tzetzae discipuli cuiusdam defuncti cubiculo in palatio imperatorio a militibus surreptas et venditatas esse.

---

[1]) Ne quis putet has historias inveniri in codice Barocciano 125, quo secundum Catalog. libr. mss. Angliae et Hiberniae p. 14 continentur „Ioannis Tzetzis historiae antiquae XXIX politicis versibus", admoneo a Coxio in catal. sub n. 125, 38 hunc codicem sic describi: „Ioannis Tzetzis historiae antiquae, numero viginti novem, ex Chiliadibus collectae, versibus politicis. Tit. ἱστορίαι παλαιαὶ διάφοροι διὰ στίχων πολιτικῶν Ἰωάννου τοῦ Τζέτζου. Prima est de Helicone et Cithaerone et exstat in edit. Kiessling. 1826 p. 233." Francke autem, vir doctissimus, qui insigni benevolentia codicem in meum usum inspexit, mecum communicavit omnes illas historias, quae essent numero non XXIX sed XXVII, in edit. Kiessling. inveniri.

[2]) Cf. Duebner. Mus. Rhen. IV, p. 7 et Pressel. l. l. p. 110.

Quodsi igitur in fine Chiliadum [1]) legimus haec: Τέλος βίβλου [2]) ἱστορικῆς Ἰωάννου τοῦ Τζέτζου τῆς διὰ στίχων πολιτικῶν, Ἄλφα δὲ καλουμένης, ὧν στίχων πολιτικῶν τὸ ποσὸν μυριὰς μία καὶ δισχίλιοι ἑπτακόσιοι πεντήκοντα ἐννέα, reapse vero tantum 12 674 στίχους [3]) nunc habemus, luce clarius est non historiis illis surreptis, quippe quae multo maiorem versuum numerum explevissent editioneque ut vidimus (p. 29) a Tzetza ipso foras missa iam non continerentur, effectum esse, ut nunc 85 versus desiderentur.

At Kiesslingius ad chil. IV, 932 ante historiam περὶ Κυμαίου ὄνου, quam alterius Chiliadum partis putat esse undecimam, annotat: „Deest historia decima." Quocum fecisse miror Hamakerum, qui hanc decimam historiam procul dubio in explicatione phraseos τῷ τρίβωνι καὶ περιτιάρᾳ γεγαύρωνται versatam esse contendit. [4]) Iam Kiesslingius suspicatur [5]) post versum 844 chil. VI desiderari historiam 83 praeter unum versum 845.

Sed si historiam, quae undecima est editionis Kiesslingianae perspexerimus, cognoscemus e duabus eam constare partibus,

---

[1]) Edit. Kiessl. p. 508.

[2]) Ita cum Hamakero (biblioth. crit. nov. IV, p. 374) pro βιβλίου, quod codd. praebent, scribendum est.

[3]) Hic enim versuum, e quibus Chiliades constant, verus est numerus, nec scio, quo iure Fabricius biblioth. Graec. vol. XI, p. 242 et Baehrius (cf. p. 14) 12 675, Schoellius hist. de la littérature grecque profane VI, p. 125, quem secutus est Passovius in Jahrbücher für Philologie und Pädagogik 1826, vol. I, part. 2, p. 282, not. 1, 12 665, Bernhardyus (cf. p 14.) 12 661 versus effecerint.

In editione Kiesslingiana tribus versibus, quibus Tzetzes primam Chiliadum partem exorditur, his:

Ἀκριβεστάτως ἐκμαθεῖν, φίλτατε, κεχρημένος
Μιᾶς ἐμῆς ἐπιστολῆς σύμπασαν ἱστορίαν
Εὐκρινημένως μάνθανε πρῶτον ἐκ τῆς τοῦ Κροίσου

non annumeratis versus

δέχου τὸ ἐπιστόλιον μετὰ τὰς ἱστορίας

467 chiliadis quartae, versus, qui illum sequitur (est enim primus illius epistolii), 471 numeratur.

[4]) Bibliotheca critica nova IV, p. 381.

[5]) Edit. p. 230.

quarum altera inde a versu 933 usque ad v. 937 de asino Cymaeo, altera inde a v. 938 usque ad v. 959 de simia veste hominis sumpta se esse hominem putanti agit. Accedit, quod in codd. Paris. post chil. IV, 937 novum legimus titulum hunc: παροιμία ια'· περὶ πιθήκου ἀνθρώπου στολὴν ἐνδεδυμένου καὶ δοκοῦντος ἀνθρώπου,[1]) quae historia sine dubio explicat τοῦ ἐδαφίου, ut dicit noster,[2]) i. e. epistulae ad Epiphanium diaconum datae verba: ἀνθρωπιῶντα δ' ἄττα πιθήκια ἐλεγχθήσονται. Hinc efficitur, ut historia, quae inscribitur περὶ Κυμαίου ὄνου sit decima, undecima incipiat a versu 938 chiliadis quartae. Haec autem recte a nobis disputata esse comprobatur tertiae Chiliadum partis historiae 321 verbis hisce:

chil. X, 261 Ὄνος ἐν Κύμῃ γεγονὼς μέγας ὑπὲρ τοὺς ὄνους
Λέων δοκῶν ἐν λεοντῇ, ἐκ τῆς φωνῆς ἐγνώσθη.
Δεκάτην ταύτην εὕρῃς δὲ πίνακι τῷ δευτέρῳ.

Iam ad alteram si nos vertimus historiam, quam Kiesslingius praeter unum versum desiderat, cum Presselio[3]) nihil autumamus desiderari nisi titulum. Eum autem codex Parisinus 2644 sic praebet: Λέξις ἱστορικὴ ἑφερμηνευτικὴ τοῦ τί σημαίνει ἐδέμ· πγ'.

Sed ille, qui quae in margine editionis Bas. leguntur verba adscripsit, secum reputans, quo factum esset modo, ut illorum 12 759 versuum exstarent tantum 12 674, rem hunc in modum explicare conatus est: „Videtur hoc i. e. versus, qui τοῦ αὐτοῦ Ἰωάννου τοῦ Τζέτζου στίχοι ἰαμβικοὶ inscribuntur, esse velut auctarium libri Ἄλφα dicti, quamquam neque sic respondet versuum numerus.“[4]) Quae verba ipsa indicant ne illi quidem hanc coniecturam placuisse.

Quae cum ita sint, alia via rem admodum difficilem aggrediamur.

Iam supra (p. 13) dictum est Duebnerum e codice Parisino 2644 praeter scripturas nonnullas optimas etiam scholia

---

[1]) Pressel. l. l. p. 112.
[2]) Ut chil. IV, 202 οὕτω δὲ τὸ ἐδάφιόν ἐστιν ἐγγεγραμμένον.
[3]) Pressel. l. l. p. 121.
[4]) Edition. Kiessl. p. 509, not. 1.

ad Chiliades scripta edidisse nec non Presselium et eiusdem codicis 2644 et alterius, qui est 2750, omnes lectiones et scholia editioni suae adiecisse.[1]) Quae scholia si perscrutamur, eorum nonnulla sed pauca non a Tzetza ipso profecta esse reperimus. Huc pertinet scholium, quod in codd. Paris. ad historiae 38 tertiae Chiliadum partis titulum exstat hoc:

Ὦ Τζέτζης —
Τὸν Ἀλφιὸν (sic) τὸν ποταμὸν τὸν ἐκ Πελοποννήσου
Πῶς οὐκ ἐμνήσθης πώποτε ἱστορικῶς συγγράψαι·
Ὅπερ καὶ μᾶλλον ἔμελλεν ὑπὲρ τῶν ἄλλων,
Ὡς βασιλεὺς τῶν ποταμῶν τῶν Ἀττικῶν καὶ Θρᾴκων;
Λήθη σοι γέγονεν πολλὴ οὐκ οἶδα πῶς ἐπῆλθεν·
Ὁπότ' ἐμνήσθης Ἡρακλῆ καὶ κόπρον τοῦ Αὐγείου,
Τότε καὶ μόνον εἴρηκας τὸν ποταμὸν ἐκτρέψαι,
Τὴν κόπρον ἐκκαθάραντα ἐκ τῆς αὐλῆς Αὐγείου
Οὐκ ἤκουσας, οὐκ ἔμαθες τὸ ἄμικτον τὸ τούτου
Τὸ τῆς θαλάσσης ὕδατος ὡς ἁλμυρὸν τῇ φύσει
Φυλάττειν τὸ γλυκύῤῥοον εἰς Σικελλοὺς χωροῦντα
Ἀρεθουσίᾳ τῇ πηγῇ· ἠγαπηκώς, ὡς λέγουσιν·
Ἐγὼ γὰρ Διονύσιος ἐκ τῆς Πελοποννήσου
Τοῦτο καὶ μόνον ἐνθυμῶ· τὰ δ' ἄλλα γὰρ οὐ λέγω.
Καταγινώσκω σου πολλὰ κοπάζων παντογράφους.[2])

Huic alterum scholium, quod legimus in codd. Paris. ad chil. VIII, v. 449 verbum ὑπερυδραγυρίζειν· νικᾶν καὶ τὸν Ὑδράργυρον ὃς κλέπτης ἦν ἐν χρόνοις Τζέτζου τοῦ συγγραφέως [3]) addendum est. Atque haec sunt scholia a nostro non scripta.

De reliquis facimus cum Duebnero hunc in modum disserenti [4]): Die Randbemerkungen bestehen teils in Verbesserungen historischer Irrtümer, teils in Angabe seiner

---

[1]) Haec scholia Cramer quoque e cod. Bodleiano B edidit in Anecd. Graec. Oxoniens. vol. III, p. 350—375.

[2]) Pressel. l. l. p. 118. Cramer l. l. III, p. 367 sq. Ex his versibus elucet Dionysium Peloponnesiacum eos scripsisse et ne illum quidem, quonam noster consilio librum conscripsisset, cognovisse.

[3]) Pressel. l. l, p. 127. Cramer l. l. p. 371. Duebner Mus. Rhen. IV, p. 13.

[4]) Mus. Rhen. IV, p. 2.

Quellen, teils in Rechtfertigungen seiner Erzählung, seiner Orthographie und Wortbildung, seiner Prosodie, teils in Zufügung von Einzelheiten zur Erzählung, teils in Apostrophen an den Copisten, dem er übrigens zuweilen seine eigenen Fehler zur Last zu legen scheint." Ex versibus igitur, quos codd. Paris. post chil. V, 201 suppeditant:

Σοὶ τῷ Κοτέρτζῃ καὶ φιλοῦντι δεσπότῃ
Νῦν μέχρι τοῦδε τὰς δυσόδμους βορβόρους
Τοῦ χοιριῶντος τοῦδε καὶ κοπρογράφου
(Οὕτω χρεὼν καλεῖν γὰρ ἢ καλλιγράφον)
Τζέτζης καθαίρει τεχνικῶν λόγων πτύοις·
Ἐπεὶ δὲ μέλλεις ποι δραμεῖν τῶν ἐνθάδε
Παλινδρομεῖν τε, σὺν θεῷ, πλὴν ἐν τάχει·
Εἴ μοι τὸ τέρμα μὴ περανθῇ τοῦ βίου,
Τὰ λοιπὰ λοιπὸν ἐξαποξέσω τότε. [1])

apparet Tzetzam usque ad hunc locum librum emendavisse; qua emendatione scholia margini codicum Parisin. adscripta nata esse idem Duebnerus [2]) recte iudicat. His autem haud dissimilia scholia historiis, quae post chil. V, 201 exstant, adscripta sunt. Unde facile intelligitur nostrum promisso τὰ λοιπὰ λοιπὸν ἐξαποξέσω stetisse.

Quodsi igitur scholia omnia a Tzetza ipso ad Chiliades scripta inspicimus, eorum alia soluta oratione, versibus alia composita esse invenimus. Illis omissis haec sunt apud Duebnerum

Mus.	Rhen. IV,	p.	3	schol.	ad	chil.	I, 131	4 iambi
"	" IV,	"	4	"	"	"	I, 765	1 "
"	" IV,	"	4	"	"	"	II, 213	2 "
"	" IV,	"	6	"	"	"	III, 232	1 vers. polit.
"	" IV,	"	6	"	"	"	III, 431	4 iambi
"	" IV,	"	7	"	"	"	III, 736	1 vers. polit.
"	" IV,	"	8	"	"	"	IV, 788	5 iambi
"	" IV,	"	8	"	"	"	V, 201	9 "
"	" IV,	"	9	"	"	"	V, 203	2 vers. polit.

[1]) Duebner. l. l. p. 8. Pressel. l. l. p. 113. Cramer l. l. p. 365.
[2]) l. l. p. 1 sqq.

Mus.	Rhen.	IV,	p. 9	schol.	ad	chil.	V, 209	3	vers. polit.
„	„	IV,	„ 11	„	„	„	VI, 890	1	„ „
„	„	IV,	„ 12	„	„	„	VII, 777	1	„ „
„	„	IV,	„ 12	„	„	„	VII, 839	2	„ „
„	„	IV,	„ 12	„	„	„	VII, 853	2	„ „
„	„	IV,	„ 12	„	„	„	VII, 949	1	„ „
„	„	IV,	„ 13	„	„	„	VIII, 41	2	„ „
„	„	IV,	„ 13	„	„	„	VIII, 144	3	„ „
„	„	IV,	„ 14	„	„	histor.	217	2	„ „
„	„	IV,	„ 14	„	„	chil.	VIII, 878	1	iambi
„	„	IV,	„ 15	„	„	„	X, 858	1	vers. polit.
„	„	IV,	„ 17	„	„	„	XII, 337	3	„ „
„	„	IV,	„ 17	„	„	„	XII, 431	1	„ „
„	„	IV,	„ 18	„	„	„	XII, 622	1	iambi
„	„	IV,	„ 18	„	„	„	XII, 674	1	vers. polit.
„	„	IV,	„ 18	„	„	„	XII, 929	2	„ „
„	„	IV,	„ 19	„	„	„	XIII, 614	16	iambi
„	„	IV,	„ 22	„	„	„	I, 144	9	vers. polit.
„	„	IV,	„ 25	„	„	„	VII, 367	4	„ „

Iam calculo subducto efficiuntur 85 versus, qui ipse numerus, ut supra (p. 30) vidimus, ad versus 12 759 subscriptione Chiliadum commemoratos desideratur. Quid? Nonne mirum esset, si casu et fortuito in eundem numerum et hic et illic incurreremus? Neque igitur a vero aberrare mihi videor statuens illum, qui subscriptionem fecit, scholiorum octoginta quinque versibus numero illi 12 674 versuum additis effecisse 12 759. Minime autem id opinioni nostrae repugnat, quod scholiorum versus ex parte iambici sunt, cum in illo 12 674 numero et iambici et aliis metris compositi versus frequentissimi sint. Atque haec quidem hactenus.

4. a. Nunc aliam tractemus quaestionem, quae ex eadem subscriptione oritur. Legitur enim in initio illius: Τέλος βιβλίου ἱστορικῆς Ἰωάννου τοῦ Τζέτζου τῆς διὰ στίχων πολιτικῶν, Ἄλφα δὲ καλουμένης; in codice Monacensi CCCXXXVIII totius operis titulum invenimus hunc: Βιβλίον ἱστορικῆς Ἰωάννου τοῦ Τζέτζου τῆς διὰ στίχων πολιτικῶν, Ἄλφα δὲ καλου-

μένης, [1]) et putaverit quispiam ex hoc titulo subscriptionis verba modo laudata manavisse. Sed sunt, quae illi opinioni repugnent. Primum igitur patet titulum, quem codex Monacensis praebet, sensu carere. At etiam verba subscriptionis! Sed cum in hac omnis tollatur difficultas, si pro βιβλίου scribatur βίβλου (cf. supra p. 30 n. 2), inscriptio medela tam leni sanari non potest. Nam Hamaker, qui Gerbelium secutus hunc probat [2]) titulum: Βιβλίον ἱστορικὸν τὸ . . . . Ἄλφα καλούμενον non emendatione usus est, sed inscriptionem profert fere novam. Deinde titulus in codice Monacensi a secunda manu scriptus est. [3]) Quam rem Hamaker recte explanavit illam inscriptionem a stupido quodam profectam esse censens homine, qui librum titulo carere videns hunc fere repetendum existimaret e totius operis subscriptione.

Facile quoque intelligitur, qua re adductus is, qui subscriptionem fecit, totum hunc librum appellaverit βίβλον Ἄλφα. Invenimus enim in initio iamborum ad calcem Chiliadum positorum hunc versum:

Ἡ βίβλος Ἄλφα Τζετζικῶν πονημάτων. [4])

Neque errare mihi videor, si statuo librarium illum hoc versu ad historias, quas transscripserat, revocato putavisse Tzetzam totum historiarum librum appellasse Ἄλφα. Sed vehementer is lapsus est. Et ne Hamaker quidem recte iudicavisse mihi videtur arbitratus [5]) nostrum primam libri sui partem vocavisse τὴν βίβλον Ἄλφα. Nihil enim valet ad rem, quod iambi illi ad calcem Chiliadum adiecti sunt, neque ulla praeterea indicatur re versum obiter laudatum ad historiarum librum spectare. Immo is ad versus iambicos, qui sequuntur, revocandus est (cf. cap. XIII). Quocirca primae operis partis inscriptionem existimo aut omnino omit-

[1]) Edit. Kiessling. p. 1.
[2]) Biblioth. crit. nova IV, p. 374.
[3]) Edit. Kiessling. p. 1, not. *).
[4]) Ibid. p. 509.
[5]) Biblioth. crit. nova IV, p. 374 sqq.

tendam aut sic ut legitur [1]) in codice Monacensi B olim Augustano esse scribendam: Ἱστορίαι γραμματικοῦ Ἰωάννου τοῦ Τζέτζου, ὧνπερ ἐπεμνήσθη ἐν μιᾷ τῶν αὐτοῦ ἐπιστολῶν.

Toti autem operi Tzetzam ipsum titulum dedisse ἱστοριῶν βίβλον haud ambigue indicat chil. V. v. 198

Λοιπὸν ὁμὰς τελέει τῆσδ' ἱστοριῶν βίβλοιο.

b. Ab hoc loco non alienum esse arbitror aliam Hamakeri opinionem in quaestionem vocare. Putat [2]) enim vir doctissimus ex eo, quod codice Monacensi B solae priores historiae 141 contineantur, effici posse hanc primam Chiliadum partem ab initio separatim epistula ad Ioannem Lachanam non adiuncta editam esse. At id minime potest effici. Primum enim versus, quibus haud raro (cf. supra p. 15 sqq.) ad epistulam illam revocamur ut

chil. III, 1 Τὴν τοῦ Τριταίχμου σύμπασαν εἰς πλάτος ἱστορίαν
Ἔχεις κειμένην ἀκριβῶς ἐν τῷ ἐπιστολίῳ

comprobant iam ab initio epistulam historiis, quibus illustratur, adiunctam fuisse. Nec crediderim historias primae Chiliadum partis separatas a ceteris editas esse eo effici posse, quod codex Monacensis B eas tantummodo amplectitur. Nam librarius eius, qui nescio qua adductus re epistulam ad Ioannem Lachanam datam non descripsit, eadem de causa reliquas quoque historias omittere potuit. [3]) Verum haec quidem satis sunto.

---

[1]) Edit. Kiessling. p. 1, not. *).

[2]) Biblioth. crit. nov. IV, p. 375.

[[3]) Etiam Hart. l. l. p. 54 sqq. putat primum Chiliadum pinacem olim separatum a ceteris exstitisse. Argumento autem illo e codice Monacensi petito non utitur, sed hunc in modum ratiocinatur.

In Allegor. Iliad. Ω, 282 sqq. edit. Boiss. leguntur:

Ὅμηρος τῆς Νιόβης σοι νῦν ἱστορίαν εἶπεν,
ἡμεῖς δ' ἠλληγορήσαμεν πρὶν τῇ Αὐγούστῃ τάδε,
ὧνπέρ σοι παραθήσομεν τὰ χρήσιμα κἀνθάδε.

Subsequitur deinde allegoria (vv. 285—315 ed. Boiss.), quae fere ad verbum consentit cum ea allegoria, quae in ultima historia Chiliadum pinacis primi invenitur (chil. IV, 435 sqq.). Quem ob concentum Hart arbitratur eos versus, qui in extremo Allegoriarum Iliadis libro exstant, a Tzetza sumptos esse ex pinace primo Chiliadum. Ratus igitur Allegorias Iliadis et post mensem Ianuarium anni 1144 compositas esse et ante

5. Restat ut tempus, quo hic historiarum liber scriptus et publici factus sit iuris, investigemus.

a. Ad hanc rem explanandam, si opus ipsum respicimus, primo quasi aspectu multum valere videntur vv. 719 et 720 chil. XI hi:

'Ο Μιχαὴλ μὲν ὁ Ψελλὸς ψύλλας ἐγκωμιάζει,
'Ημῶν πρὸ χρόνων ἑκατὸν ἀκμάζων ἐν τῷ βίῳ.

Atque Gerbelius [1]) ille quidem ex his versibus Tzetzam ‚historicas has epistolas' anno MCLXXVI scripsisse, effecit. Sed Sathae [2]) opera certiores facti sumus Michaelem Psellum, olim Constantinum, anno 1018 Constanstinopoli natum sub imperatoribus Michaele Paphlagonio, Constantino Monomacho, Constantino Duca, Michaele VII floruisse usque ad annum

---

annum 1147 eodem tempore primam Chiliadum partem scriptam esse dicit.

In his multa non probanda sunt. Primum allegoria de Niobe legitur in ultimo Allegor. Il. libro, quem non ad Augustam imperatricem scriptum esse cum aliis argumentis (cf. infra p. 43 sqq.) tum eo comprobatur, quod legimus:

'Ημεῖς δ' ἠλληγορήσαμεν πρὶν τῇ Αὐγούστῃ τάδε.

Quae verba intelligi non possent, si Allegor. Il. liber Ω ad Augustam ipsam missus esset. Infra autem (p. 45) demonstrabimus hunc librum post annum 1158 esse confectum. Unde, si cetera ab Hartio recte essent disputata, efficeretur primum Chiliadum pinacem intra annos 1144 et 1158 compositum fuisse. Sed non recte sunt disputata. Una difficultas Hartium ipsum offendit ea, quod Chiliadibus non ut ceteris in usum imperatricis compositis libris allocutionis loco versus nonnulli praefixi sunt. Quam difficultatem solvere conatur, 'cum dicat pinacem historiarum primum in imperatricis usum olim compositum postea, cum a militibus mutilatus esset, non dignum esse visum, qui ad Augustam mitteretur. Largimur Hartio haec ita esse, quid dicet de versu, a quo liber incipit:

'Ακριβεστάτως ἐκμαθεῖν, φίλτατε, κεχρημένος

et de ceteris libri locis, ubi Tzetzes virum alloquitur, non mulierem ut chil. I, 157 sqq., 270 sqq.? quid iudicat de allocutione τέκνον, quam legimus chil. II, 836. 976? An putat haec quoque libro mutilato mutata esse? Quae cum ita sint, non credo nos Alleg. Il. Ω, v. 283 ad chil. IV, 435 sqq., revocari.]

[1]) Edit. Kiessl. praef. p. XXIII.

[2]) Μεσαιωνικὴ βιβλιοθήκη ἢ συλλογὴ ἀνεκδότων μνημείων τῆς 'Ελληνικῆς ἱστορίας ἐπιστασίᾳ K. N. Σάθα. Τόμος δ'. πρόλογ. pp. XXX—CXII.

1075. Quapropter vocabulo ἀκμάζειν, quod ut alibi sic hic quam maxime ambiguum est, si Psellum respicimus, deducimur ad annos 1050—1075, si Tzetzam, ad annos 1150—1175. Sed nostrum his temporibus vixisse et librum scripsisse iam aliunde satis cognitum habemus. Accedit, quod tempus, quo Psellus hoc ἐγκώμιον εἰς τὴν ψύλλαν scripserit, ignoramus. Quamquam ne hoc quidem tempore indagato dici potest Tzetzam Chiliades centum annis post scripsisse, quippe qui nihil aliud dicat nisi Psellum centum annis ante suam ipsius floruisse aetatem.

Neque certiorem capere fructum possumus e chil. VII, 567

Καὶ πῶς νῦν ὁ Λιβούνιος ἐλεύσεται εἰς Κύπρον.

Nam ex iis, quae Hamaker [1]) affirmat, hic de Livone vel Leone agi, Armeniae vel Ciliciae rege, eumque confundi cum filio Theodoro, qui Graecos e Cilicia eiecit et anno 1152 impetum fecit in Cyprum insulam caedibus et rapinis vastans, hoc solum colligi posset Tzetzam hunc librum scripsisse post annum 1152. Sed vix credendum est nostrum hac in re patrem cum filio confudisse.

Unam tantummodo ansam ad tempus, quo Chiliades scriptae sint, definiendum liber ipse praebet. Dicit enim Tzetzes

chil. V, 7 Ἐγὼ δὲ ἠλληγόρησα τῇ βίβλῳ τῆς Αὐγούστης [2])
„ V, 776 Αὐτὸς δὲ ὑπεφήτευσα γράφων ἀλληγορίας [3])
„ IV, 280 ἐγὼ δ' εἰρήκειν τοῦτο
Ἀνθ' οὗ γράφων ἐξήγησιν Ὁμήρου τῇ Αὐγούστῃ
Ἔχουσαν καὶ μετάφρασιν ἡμαξευμένοις στίχοις

(cf. infra p. 41 sqq.). Neque ullum fugit haec eo tempore, quo ἡ βίβλος τῆς Αὐγούστης sive Allegoriae Iliadis iam perfectae essent, i. e. post annum 1158 (cf. p. 45), scripta esse. Sed Allegorias Iliadis excipiunt Odysseae (cf. pp. 45 et 46), [4]) has

[1]) Biblioth. crit. nov. IV, p. 400.
[2]) Cf. Allegoriar. Iliadis prooem. v. 447 sqq.
[3]) Cf. ibid. v. 135 sqq.
[4]) Allegoriarum Odysseae Tzetzes mentionem facit chil. VI, 732
Ἐν Ὀδυσσείᾳ φάρμακον ληθεδανὸν εἰρήκειν,
quo versu revocamur ad Alleg. Odyss. Δ, 29 sqq.

scholia in Aristophanem scripta (cf. infra p. 62 sqq.). Itaque his libris perfectis i. e. post annum 1165 Tzetzes librum historiarum conscripsit.

b. Ad idem tempus ducimur, si epistulas consideramus. De quarum ordine cum (p. 5 sqq.) satis a nobis sit disputatum, hoc loco exsistit quaestio, quo corpus illarum perfectum sit tempore. Iam supra (p. 11) vidimus in extremis epistulis ut in epp. 91. 92. 93. 95 aliis Tzetzam se morbo afflictum esse queri, quo homines aetate longius provecti laborare soleant. Ex quo perspicuum est illum, cum has scriberet epistulas, paene fuisse senem. Alio demonstrabimus loco (B, 2) Ioannem Tzetzem anno circiter 1113 natum esse. Quapropter epistulas 91 usque 107 post annum 1163 scriptas neque ante annum 1165 confectas esse iure nostro contendimus. Neque vero statim ultima epistula scripta Tzetzes historias epistularum composuit. Nam supra (p. 10) demonstravimus Tzetzam, quoniam quidam homo pristinum ordinem turbaverat, δευτέραν ἐπιστολῶν 70 usque 107 συναγωγὴν instituere coactum esse. Facile autem elucet nostrum hunc epistularum ordinem idcirco instituisse, ut editionem faceret eaque facta scriberet historias. Ex versibus igitur chil. V, 188

Νῦν δὲ δεκάδας γράφοντες ἐπιστολῶν τὸ πρῶτον,
Εἴτ' οὖν ὁπόσας κρίνοιμεν αὐτῶν γραφῆναι δέον
Ἔπειτα διαγράφοιμεν τὰς τούτων ἱστορίας,

quibus Tzetzes indicat se in epistulas, quarum decades [1]) scripserit, historias scribere velle, postquam, quot earum scribendae essent, destinaverit [2]), efficitur, quo tempore viginti tres alterius Chiliadum partis historiae ad finem perducerentur, epistularum decades iam exstitisse. Atque ita fit, ut etiam alterius partis historiae et epistula, quam explicant, h. e. epistula ad Epiphanium diaconum data non ante annum 1170 (cf. infra p. 62 sqq.) compositae esse possint. Neque

---

[1]) Hae sunt epistulae 2 usque 107 editionis Presselianae.

[2]) Kiesslingius edit. p. 163, not. ad v. 188 hunc locum corruptum esse perperam existimavit, Hamaker biblioth. crit. nov. IV, p. 376 de his versibus aliter ac nos iudicat.

crediderim epistulam ad Ioannem Lachanam, quae inde a chil. IV, v. 472 usque ad v. 780 legitur, eiusque historias prius scriptas esse. [1])

Postquam Tzetzes librum historiarum primum publici iuris fecit, alteram editionem (cf. supra p. 21 n. 3) scholiis (de quorum natura cf. p. 33 sqq.) instructam confecit eamque Cotertzae dedicavit (cf. p. 33). Hic Cotertzes haud dubie idem est, ad quem noster epp. 68 et 102 scripsit, cuius ut erga se benevolentissimi mentionem fecit versibus Allegoriarum Iliadis libro decimo et sexto praefixis (cf. infra p. 43 sqq. et Boissonade edit Allegor. Iliad. Tzetzae p. 388).

---

[1]) Haec, quae contendimus, comprobantur eo, quod epistula 105 ad eundem Ioannem Lachanam non multo ante annum 1165 (cf. p. 39) data epistulae Chiliadibus insertae nonnullis annis antecessit, nam illa Ioannem diaconum, haec nova dignitate honoratum eum appellat Ζαβαρίτην, de qua voce cf. Pressel. l. l. p. 110. Neque in dubium vocantur hac re, quod ultimae historiae ad epistulam ad Ioannem Lachanam versibus scriptam pertinentes (cf. p. 28 sqq.) surreptae sunt. Immo nostra opinione probata bene perspicias, cur noster, quippe qui senectute urgente, ut opus acceleraret, cogeretur, eas non denuo composuerit.

Caput III.

De Allegoriis Iliadis.

1. Eodem tempore, quo epistulae Ioannis Tzetzae universae typis primum mandatae sunt, etiam Allegoriae eius in Iliadem eaeque bis foras sunt missae. Anno enim 1850 Matranga, [1]) qui de superiorum quoque temporum curis in hoc libro ex parte edendo collocatis agit,[2]) editionem instituit potissimum codicibus Vaticanis usus, anno 1851 has Allegorias Io. Fr. Boissonade e codicibus Parisinis in lucem edidit. [3])

2. Titulus operis in codicibus legitur hic:

Ὑπόθεσις τοῦ Ὁμήρου
ἀλληγορηθεῖσα
παρὰ Ἰωάννου γραμματικοῦ τοῦ Τζέτζου
τῇ κραταιοτάτῃ βασιλίσσῃ καὶ ὁμηρικωτάτῃ
κύρᾳ Εἰρήνῃ τῇ ἐξ Ἀλαμανῶν.

Incipit liber a prooemio satis longo, quod pariter ac quindecim priores operis libros (cf. infra p. 43) ad Irenam imperatricem datum esse et ex scholio ad v. 1 hoc: τὸ προοίμιον πρὸς τὸ κελεῦσαν πρόσωπον ἅψασθαι τὸν Τζέτζην ταύτης τῆς συγγραφῆς [4]) et ex iis, quae eius vv. 1—40 suppeditant, facile perspicias. Sequitur vv. 41—47 argumentum prooemii hoc:

---

[1]) Anecdota Graeca e mss. bibliothecis Vaticana, Angelica, Barberiniana, Vallicelliana, Medicea, Vindobonensi deprompta edidit P. Matranga. Romae 1850. I, p. 1—223.

[2]) L. l. I praefat. p. 8.

[3]) Tzetzae Allegoriae Iliadis, accedunt Pselli Allegoriae, quarum una inedita, curante Io. Fr. Boissonade. Lutetiae MDCCCLI.

[4]) Matranga l. l. I, p. 1. Boissonade l. l. p. 1.

Καὶ δὴ λοιπὸν πετάσασα τὰς θείας ἀκοάς σου,
Πρὸ πάντων πρῶτον μάνθανε τοῦ ποιητοῦ τὸ γένος,
Πατρίδα καὶ γεννήτορας μετὰ τῶν διδασκάλων
Καὶ χρόνους οἷς ἐτύγχανε, καὶ πόσας γράφει βίβλους,
Καὶ ποῦ καὶ πῶς ἐξέλειψε τὸν βίον τελευτήσας.
Καὶ δὴ καὶ τὴν ὑπόθεσιν μάθε τῆς Ἰλιάδος
Κατὰ λεπτὸν τὴν σύμπασαν καὶ τὰς μορφὰς Ἑλλήνων.

Prooemium autem excipiunt ἀλληγορίαι in singulos Iliadis libros compositae, ita ut noster effecerit, quod promisit prooemii vv. 48 et 49:

Εἶτα δ', εἰ θέλεις, μετ' αὐτὰ καὶ πᾶσαν Ἰλιάδα,
Ὥσπερ κελεύει θέλημα τὸ σόν, μεταποιήσω.

Sed voce μεταποιεῖν, quae idem significat atque ἀλληγορεῖν, qua Tzetzes ceteris utitur locis, adducimur, ut de ratione, quam noster in allegoriis scribendis secutus sit, pauca in medium proferamus. Tzetzes ipse de ea certiores nos facit. Neque igitur melius proposito consulere poterimus, quam si eum inducemus ipsum de hac re in Exegesi in Iliadem (edit. Hermann. p. 54 sqq., edit. Bachmann. p. 778 sqq.) disserentem sic: Ἀλλ' ἐπειδήπερ κἀκ τούτων μόνων ὑμῖν ἀπεδείξαμεν, καὶ ἀλληγορικῶς τὰ περὶ θεῶν Ὅμηρός τε καὶ πολλοὶ τῶν ποιητῶν ἐκλαμβάνονται, ἠλλεβορήσαμεν δὲ καὶ τὸν Προυσαέα καὶ παρ' Ἅιδῃ τυγχάνοντα Δίωνα, φέρε δὴ καὶ ποσαχῶς τὸ θεὸς ὄνομα παρ' Ὁμήρῳ λαμβάνεται ἐκδιδάξωμεν. καὶ τὸ μὲν θεὸς ὄνομα, καθάπερ καὶ πρότερον ἀπεδείξαμεν, πενταχῶς τοῦτο ἐκλαμβάνεται· πῇ μὲν γὰρ τὰ στοιχεῖα θεοὺς καλεῖ, πῇ δὲ τὰς ψυχικὰς δυνάμεις, καὶ τὰ πάθη· ἄλλοθι τοὺς βασιλεῖς καὶ τὰς βασιλίδας· ἑτέρωθι δὲ τοὺς σοφοὺς καὶ τὴν πρόνοιαν, ἣν Ὅμηρος ἀγνοῶν εἱμαρμένην φησὶν ἐξ ἀστέρων γινομένην, τουτέστιν τοὺς ἀστέρας αὐτοὺς καὶ τὰ ἄστρα· εὕρηται παρὰ τῷ Ὀππιανῷ καὶ ἡ φύσις· . . . . καὶ τὸ μὲν θεὸς ἁπλῶς οὕτω καὶ ἀνωνύμως λεγόμενον, πενταχῶς, ὡς εἶπον, ἐκλαμβάνεται· ὄνομα δὲ ἑνὸς ἑκάστου πάλιν λεγόμενον τῶν θεῶν τριχῶς ἐκλαμβάνεται κατὰ τὸν πλείονα λόγον· τινὰ δέ, καὶ πολλαχῶς· καὶ τὰ μὲν τριχῶς λαμβανόμενα, στοιχειακῶς, ψυχικῶς καὶ πραγματικῶς ἐκλαμβάνεται· οἷον Ἥρα, ἐπὶ μὲν τῶν στοιχειακῶν, ὁ λεπτομερὴς καὶ πυρώδης τυγχάνων ἀήρ· ἐπὶ δὲ τῶν ψυχικῶν, νοεῖται ψυχὴ ἡ ἀνδρεία, ὅπερ ἐστὶν μέρος ψυχῆς· ἐπὶ δὲ τῶν πραγμα-

τικῶν γυναῖκα τινὰ βασιλίδα δηλοῖ, ἣν Ἥραν ὠνόμαζον. τὸ Ἀθηνᾶ πάλιν ὁμοίως ἐπὶ τῶν στοιχειακῶν, ὁ πρόςγειος καὶ παχυμερὴς νοεῖται αήρ· ἐπὶ τῶν ψυχικῶν πάλιν ἡ φρόνησις· πραγματικῶς δὲ, γυνὴ βασιλὶς ὥσπερ ἡ Ἥρα. Haec sufficiant ad intelligendum Tzetzam his in rebus secutum esse et Stoicorum et Euhemeri doctrinam. Neque viro doctissimo Christianae fidei studioso quidquam contingere potuit gratius, quam ut paganis ipsis adiutoribus deos eorum de medio tolleret. Haec igitur ratio τοῦ ἀλληγορεῖν in reliquis quoque Tzetzae scriptis reperitur, et quamvis multa, quae protulit, nugae et sint et habeantur, tamen qui acumen viri admiretur, me non habebit adversantem. Haec de Allegoriarum libro, qualis sit.

3. Restat, ut qua adductus re, quo tempore Tzetzes hunc librum et scripserit et ediderit, breviter exponamus.

Allegoriae Iliadis, ut iam supra (p. 41) vidimus, Irenae imperatrici ex Alamanorum nobilissimo genere [1]) dedicantur; atque eius iussu, ut auctor testatur, [2]) Iliadem allegoriis esse adumbratam vulgaris est eruditorum opinio. [3]) Revera autem sub Irenes auspiciis quindecim tantum Allegoriarum libri prodierunt, reliquos Tzetzes conscripsit benevolentia Cotertzae adiutus. Haec cognoscuntur e versibus, qui Allegoriis sexti decimi Iliadis libri praefixi sunt, his:

Μέχρι τῆς Ō τὸ σύνταγμα ἐγράφη τῇ Ἀνάσσῃ·
ἐντεῦθεν ἦν δὲ κίνδυνος λοιπὸν παρεαθῆναι
ἐν δυστροπίᾳ περισσῇ τῶν χρηματοδοτούντων.
Ὁ δ' εὐγενὴς Πεισίστρατος Κοτέρτζης Κωνσταντῖνος
χρήμασι σφοῖς ἐπέσπευσεν εἰς τέλος προαχθῆναι

---

[1]) Cf. de genere, virtute, pulchritudine mulieris illius Matranga, Anecd. Graec. praefat. p. 11 sqq.; de nuptiis supra disputavi (p. 8).

[2]) Allegoriar. Iliadis prooem. v. 1—40, Allegoriar. Odysseae prooem. v. 15 sqq. Matranga l. l. I, p. 224:

λαμπρῶς φημι πρὸς λόγους
τῆς Βασιλίδος τῆς ἐμῆς, ἡ γυναικῶν ἦν κόσμος,
κελεύσει ταύτης σεβαστῇ καὶ δωρεαῖς ἀξίαις.

chil. IX, hist. 264.

[3]) Fabricii Biblioth. Graec. cur. Harless vol. XI, p. 229 et 215.

ὅθεν ἐντεῦθεν ἅπασα τούτῳ προκείσθω χάρις.
καὶ δὴ καὶ καταρκτέον μου τοῦ Πΐ τῆς ῥαψῳδίας. [1])

De Constantino Cotertza iam supra (p. 40) verba fecimus; ac quae de δυστροπία τῶν χρηματοδοτούντων dicuntur, lucem accipiunt e chiliadis nonae historia 264. [2]) Procurator Caesareus, Irenes Augustae dispensator, ὁ ἐπὶ διοικήσεων τελῶν τῆς Αὐγούστης, qui primos Allegoriarum fasciculos eosque formae non grandis liberalissime remuneratus erat, libellos alios grandiores grandissimosque non donis, sed verbis male sonantibus: γράφε δέ, γράφε συνεχῶς accepit. Hac permotus re Tzetzes epistulam, quae editionis Presselianae est quinquagesima septima, dedit τῷ Μεραλώνᾳ τῷ ἐκ προσώπου τῆς Αὐγούστης καὶ ἁγίας δεσποίνης τῷ Τζέτζῃ περὶ συγγραμμάτων μηνύοντι. Nostra igitur opinione de epistularum ordine probata, cum epistula 55 anno 1146 (cf. p. 7 sqq.), epist. 59 anno 1147 (cf. p. 8 sqq.) sit missa, epist. 57 aut anno 1146 aut 1147 scripta est, et eodem tempore primi quindecim Allegoriarum libri iam compositi

---

[1]) Boissonade l. l. p. 192 et corrigenda et addenda p. 388 sqq. Matranga l. l. I, p. 125.

[2]) Περὶ τοῦ, Μὴ γίνου φρόνιμος παρα σαυτῷ.

Τοῦτό φησιν ὁ Σολομῶν, παιδεύων τοὺς ἀνθρώπους,
Μὴ αὐτοβούλους γίνεσθαι καὶ τῶν αὐταρεσκούντων,
Χρᾶσθαι δὲ συμβουλεύουσιν. ἐγὼ δ' εἰρήκειν τοῦτο,
Ἀνθ' οὗ γράφων ἐξήγησιν Ὁμήρου τῇ Αὐγούστῃ,
Ἔχουσαν καὶ μετάφρασιν ἡμαξευμένοις στίχοις,
Πρῶτον μὲν τετραδίσκια τῶν σμικροτάτων γράφων,
Ἑνὸς ἑκάστου ἀπ' αὐτῶν μὴ πλέον τι χωροῦντος
Ὀκτὼ καὶ ὀγδοήκοντα στίχων σὺν διηκάδι,
Τῷ καθ' ἑνὶ ἐλάμβανον δώδεκα τῶν χρυσίνων,
Χρυσίνων νομισμάτων δὲ, πλὴν ἐκ λευκοῦ χρυσίου.
Ἐπεὶ πυκνοῦν δὲ μηνυθεὶς τοὺς χάρτας πρὸς ὀλίγον
Τῷ ἐπὶ διοικήσεων τελοῦντι τῆς Αὐγούστης,
Λαβὼν δέ τι τετράδιον μέγιστον ἐγεγράφειν
Τριπαγισμοῖς ἐν στιχισμοῖς τετράδια ὡς δέκα.
Ὁ δὲ καὶ τὸ δεκάπλασμα ἴσον ἁπλῷ ἐδόκει
Καὶ μᾶλλον δὲ καὶ ἔλαττον, εἴτε καὶ ὡς οὐδέν τι.
Λαβὼν γὰρ ταῦτά μοι, οὐδὲν ἐκεῖνος ἀπεστάλκει.
Γράφε δὲ, γράφε συνεχῶς, ἐμήνυε καὶ μόνον,
Καὶ μετὰ τὴν συμπλήρωσιν σχῇς δωρεᾶς ὁποίας.

fuerunt. Tum vero Tzetzes malignitatem dispensatoris illius moleste ferens opus ad finem adducere noluit, ac probabile est non statim Cotertzam suppetias tulisse homini egeno. Ex ultimis enim huius libri versibus:

Ἔχεις τὸν ἆθλον ἅπαντα τοῦτον τῆς Ἰλιάδος
ἐν τοῖς ἀλληγορήμασι τῷ Τζέτζῃ τελεσθέντα.
Ἤδη ἐπ᾽ ἄλλον ἄεθλον κράζει καιρὸς ὡς κῆρυξ [1])

elucet Tzetzam, cum hoc opus ad exitum adduceret, iam de alio scribendo cogitasse. Quid autem fuerit hoc opus, si quaerimus, cum res ipsa indicat illud Allegoriis Iliadis non dissimile fuisse, tum e prooemio Allegoriarum Odysseae, [2]) quod Allegoriarum Iliadis ἐπίλογος aptius appelletur, illas intelligitur has excepisse. Quae Allegoriae Odysseae cum post Irenes Augustae mortem (cf. p. 46) inceptae sint, Allegorias Iliadis eodem tempore finitas esse non temere arbitramur. Tum vero scholiis, [3]) ut fere omnia nostri scripta, instructae primum foras missae esse videntur, atque huius editionis exemplum praebent codices, quibus Boissonade usus est. Matrangiana autem editio centum et septem versus plus quam Boissonadiana suppeditat. Quorum versuum naturam si perscrutamur, cognoscimus eos maximam partem similitudines, universos vero res continere, quas scriptor iterum sua legens facile inserere potuerit. Quam ob rem crediderim priore editione foras missa Tzetzam alteram instituisse, cuius exemplum praebeant codices Vaticani. Quae opinio eo comprobatur, quod in versus quoque intercalares illos scholia exstant. [4])

---

[1]) Boissonade l. l. p. 339 sqq.

[2]) Matranga l. l. I, p. 224 sqq.

[3]) Haec scholia inveniuntur apud Cramerum Anecd. Graec. Oxon. vol. III, p. 376—384, apud Boissonade in notis edition. Allegoriar., apud Matrangam. l. l. II, p. 599—618.

[4]) Ut ad versum Allegoriar. Iliad. VIII, 133 edition. Matrang. p. 82 scholium exstat admodum longum ab eodem Matranga laudatum II, p. 614 sqq.

Caput IV.

De Allegoriis Odysseae.

Pauca habeo de Allegoriis Odysseae quae disputem. Iis, ut titulus iam indicat, eadem ratione (cf. supra p. 42) tractantur res Odysseae, qua opere, de quo modo verba fecimus, Ilias. Publici autem iuris factae sunt a Matranga l. l. I, p. 224 usque 295. Sed mutilus liber ad nostram aetatatem pervenit. Exstant enim tantummodo prooemium, ὑπόθεσις ἐν βράχει τῆς ὅλης Ὀδυσσείας, allegoriae in priores tredecim Odysseae libros. Neque abest suspicio, quin ut finis tertii decimi libri sic allegoriae reliquorum Odysseae librorum casu aut perierint, aut etiam nunc in bibliothecis delitescant. Neque enim crediderim nostrum hoc opus non ad exitum adduxisse, cum id quoque scholiis [1]) sit illustratum, quae Tzetzam adiecisse libro nondum perfecto parum probabile est.

Scriptae autem hae Allegoriae sunt post mortem Irenes Augustae imperatricis [2]) i. e. post annum 1158, [3]) id quod dilucide apparet e prooemii v. 15:

λαμπρῶς φημι πρὸς λόγους
τῆς Βασιλίδος τῆς ἐμῆς, ἣ γυναικῶν ἦν κόσμος,
κελεύσει ταύτης σεβαστῇ καὶ δωρεαῖς ἀξίαις. [4])

[1]) Praebet haec scholia Matranga l. l. II, p. 618 perpauca illa quidem, sed facile suspicamur librarium ut erat negligens atque imperitus (cf. Matranga l. l. praefat. p. 10) multa omisisse.

[2]) Matranga l. l. praefat. 14 asserit longe post mortem Irenes has Allegorias esse scriptas. Hoc unde resciverit, me nescire fateor.

[3]) Muralt l. l. p. 176, 15.

[4]) Matranga l. l. I, p. 224.

Caput V.

De Exegesi in Homeri Iliadem.

Ut libros Tzetzae, qui ad Homeri carmina pertinent, simul tractemus, disseramus nunc de eius Exegesi in Iliadem, quae e codice Homeri bibliothecae Paullinae Lipsiensis a Godofredo Hermanno anno 1812,[1]) viginti tribus annis post denuo a Ludovico Bachmanno[2]) foras est missa.

Scripsit autem hunc librum noster eo, ut dicit,[3]) consilio, ut adulescentium utilitatis causa Iliadis exegesin componeret. Idemque, quae hoc opere tractaturus sit, nobiscum verbis communicat hisce: ἡμεῖς δὲ πρῶτον πρὸ τῶν προθύρων καὶ τῶν ἐγκειμένων ἐπῶν τῇ ποιητικῇ μεγαλοφωνίᾳ, περί τε πατρίδος καὶ γένους τοῦ ποιητοῦ, καὶ ἐπιτηδεύματος, καὶ διδασκάλων, οἵτινες ἦσαν τούτῳ, διαλαβόντες ὡς οἷόν τε, ἔτι τε εἰρηκότες ὁποίῳ τρόπῳ προεθυμήθη τὰ περὶ τὸν Τρωϊκὸν συγγράψασθαι πόλεμον, καὶ ὅσον χρόνον τούτου ὑστέρισεν, καὶ ὅπως ἔχει τὰ κατὰ τὸν πόλεμον εἰπεῖν, ἐξελθόντες λεπτομερέστερον, εἶτα λοιπὸν καὶ ἐπ' αὐτὰ τὰ ἔπη τῆς

---

[1]) Draconis Stratonicensis liber de metris poeticis. Ioannis Tzetzae Exegesis in Homeri Iliadem. Primum edidit Godofredus Hermannus. Lipsiae 1812.

[2]) Scholia in Homeri Iliadem, quae in codice bibl. Paull. Acad. Lips. leguntur ed. ac. rec. Lud. Bachmannus. Lipsiae MDCCCXXXV.

[3]) Edition. Hermann. p. 6, 8: καὶ μιᾷ πραγματίᾳ τῆς ὠφελείας χάριν τῶν νέων συντάξαι πειρώμεθα τὴν πᾶσαν ἐξήγησιν (edit. Bachmann. p. 748). Codex, quo Hermannus et Bachmannus usi sunt, ille quidem priores tantummodo 102 primi Iliadis libri versus eosque quam diligentissime allegorice et grammatice praebet explicatos. Sed exstant codices, qui totam Iliadem paraphrasi pedestri sermone conscripta explicatam praebent. Cf. Tychsen in ‚Bibliothek der alten Litteratur und Kunst, viertes Stück', inedita et observatt. criticae, p. 5 et Montfaucon. bibl. mss. I, p. 6. C.

Ἰλιάδος χωρήσομεν.[1]) Sed ut ipsa cognoscatur libri natura, huc, quaeso, animum adverte. Exstat scholium ad verba, quae edition. Hermann. p. 6, 20 leguntur, a Tzetza scriptum hoc: Τίς οὗτος [ὁ] κολοιός; τῶν ἐμῶν ὁμιλητῶν εἷς, ὃς ἐμοῦ ἀκροώμενος παρενέγραφε χάρταις, ἅπερ ἀπεστομάτιζον, καὶ ὡς ἴδια ἔμελλε ταῦτα ἐξενεγκεῖν, καὶ δὴ καὶ κρυφῇ πρός τινας τοιαῦτα ἐπευν[ήσατο], (fort. ἐπεύξατο) ὡς δῆθεν αὐτὸς ταῦτα συγγεγραφώς· ὅπερ μαθὼν ἔγωγε πρὸς τὴν παροῦσαν ἐξήγησιν τοῦ βιβλίου ἐτράπην, τὰ τούτου [συγχέων] καὶ περιτρέπων ὁρμήματα.[2]) E quo facile perspicias hoc opere illa, quae Tzetzes discipulis praelegebat, contineri. Qua re cognita allocutiones quoque intelligimus, ut edition. Hermann. p. 43, 29: τὰ δ' ἄλλα οὐκ ἀγνοεῖτε, p. 44, 20: ταῦτα πάντα οὐκ ἀγνοεῖτε, p. 52, 7: φέρω δὴ ἀπαξιώσητε μηδαμῶς γραμματικοῦ ἀσόφου σοφοὶ τυγχάνοντες γενέσθαι κατήκοοι, quae nulli nisi eiusmodi operi aptae sunt.

Restat, ut tempus, quo hoc opus sit scriptum, indagemus. Id libro ipso adiutore erui potest. Verba enim, quae legimus edit. Herm. p. 111, 17, ed. Bachm. p. 815, 13: ὥσπερ δὴ καὶ ἐπὶ ἐμῷ ἀνεψιῷ συμβέβηκε, καὶ ἐπὶ τῷ ἐμῷ φιλτάτῳ ἀδελφῷ, δακρύοντι πολλὰ περὶ τὴν ἐξέλευσιν τὴν ἐν τῇ μιαρᾷ ἐκστρατίᾳ καὶ οὐκέτι ὑποστραφέντι haud ambigue indicant haec fratre mortuo i. e. post annum 1138 (cf. supra p. 6 sqq.), atque cum dolor non iam recens[3]) videatur, nonnullis annis post scripta esse. Tempus autem, ante quod haec Exegesis conscripta sit, ex eo apparet, quod initio[4]) nullam facit mentionem libri sui idem fere consilium habentis, prooemium dico Allegoriarum Iliadis. Quod cum anno 1145[5]) compositum esse videatur, Exegesis ante hunc annum confecta est. Sed breviore spatio orbem colligamus. Dicit noster scholio, quod ad Allegoriarum Iliadis II, 67

---

[1]) Edition. Hermann. p. 7, 3 sqq., ed. Bachm. l. l. p. 748.

[2]) Ed. Herm. p. 129, 28 sqq., ed. Bachm. 828, 9.

[3]) Ut eo tempore, quo epistulae 10 et 13 et carmen de metris scripta sunt.

[4]) Edit. Herm. p. 6, ed. Bachm. p. 748.

[5]) Vidimus supra (p. 44 sqq.) anno 1147 quindecim Iliadis libros allegoriis adumbratos fuisse; quapropter Tzetzam Allegoriarum Iliadis scribendarum initium fecisse anno 1145 non temere arbitramur.

scripsit: Καλῶς εἶπον καὶ πολέμων· οὐ μόνον γὰρ πολέμων σημεῖόν ἐστιν, ἀλλὰ καὶ αὐχμῶν καὶ ναυαγίας καὶ κτηνῶν ἀπωλείας καὶ πνευμάτων καὶ γάμων δηλωτικός, ὥσπερ καὶ ὁ Τζέτζης προειπὼν περὶ τοῦ βασιλέως γάμου, ὅτι μετὰ ἑπτὰ μῆνας γενήσεται, Ἰανουάριος μὴν οὐκ ἀδόκιμος ἐφάνη περὶ τὴν πρόῤῥησιν· καὶ ἑτέρων πλειόνων ὁ κομήτης ἐστὶ δηλωτικός, καθὼς ὁ μαθηματικὸς ἀνώνυμος περὶ κομητῶν ἀκριβέστατα διέλαβε (al. μετέλαβε τὸν κομήτα).[1]) Quibuscum si comparamus, quae inveniuntur edit. Herm. p. 110, 29 sqq. et p. 128 sqq. schol. ad 5, 7, ed. Bachm. pp. 815 et 827, ubi simili modo de astrologia Tzetzes verba facit, sed summum illud suam opinionem comprobans exemplum omittit, facile perspicimus ea prius esse scripta, quam praesagium illud evasisset. Nuptiae igitur Manuelis et Irenes celebratae sunt mense Ianuario anni 1144 (cf. supra p. 8), praesagiit noster has septem mensibus ante i. e. mense Iunio anni 1143. Itaque ante hoc tempus Exegesis in Iliadem scripta est, sed non multo ante crediderim, cum supra (p. 48) demonstraverimus nonnullos annos inter huius libri confectionem et mortem fratris intercessisse.

Hic quoque liber scholiis illustratus est. Quae opere perfecto composita esse evincitur ex iis, quae legimus edit. Herm. p. 15, 15, edit. Bachm. p. 753, 33 et scholio ad hunc locum ed. Herm. p. 143, ed. Bachm. p. 837. Illic enim dicit noster condicionem suam deplorans miserrimam sibi omnium librorum nullum esse relictum nisi Plutarchi παράλληλα, hic asserit: κατεβρώθη μοι καὶ ὁ Πλούταρχος.

---

[1]) Matranga l. l. II, p. 609.

Caput VI.

De libro, qui inscribitur Antehomerica, Homerica, Posthomerica.

Ut studia nostri Homerica cognoscantur omnia, restat, ut librum heroico metro conscriptum inspiciamus, qui inscribitur τὰ πρὸ Ὁμήρου, τὰ Ὁμήρου, τὰ μεθ' Ὅμηρον. Hic liber, ad quem multi viri docti [1]) multum contulerunt studium, praeclare editus est a Friderico Iacobs [2]) et paullo post ab Immanuele Bekkero. [3])

Res autem, quae hoc opere continentur, et titulus indicat et initio argumentum totius carminis tripartiti hisce exponitur verbis:

Ἀργαλέου πολέμοιο μέγαν κλόνον Ἰλιακοῖο
ἔννεπε, Καλλιόπεια, ὑφ' ἡμετέρῃσιν ἀοιδαῖς,
ἀρχῆθε δ' ἐπάειδε καὶ ἐς τέλος ἐξερέεινε,
ἐξ ὅτεο Πρίαμος λοιγὸν Τρώεσσι φυτεύει
Δύσπαριν οὐλόμενον, ἀρχὴν πολέμοιο κακοῖο,
τὸν νόος οὐκ ἐρέεινεν Ὁμήρου κυδαλίμοιο
ἔννεπε δ' Ἀργείης Ἑλένης ἐρόεσσαν ὀπωπήν
πῶς τέ μιν ἦγεν Ἀλέξανδρος Σπάρτηθεν Τροίην.
ἔννεπε δὲ πλόον Ἑλλήνων καὶ νῆας ἁπάσας.
εἰπὲ δὲ Πηλείδαο κότον καὶ ὄλεθρον Ἀχαιῶν,
Σαρπήδοντος Πατρόκλου τε καὶ Ἕκτορος οἶτον.
εἰπὲ δὲ Πενθεσίλειαν, κούρην ἀντιάνειραν.

---

[1]) Cf. de his edition. Iacobsian. praefat. p. VI sqq.

[2]) Ioannis Tzetzae Antehomerica, Homerica et Posthomerica e codicibus edidit et commentario instruxit Fridericus Iacobs. Lipsiae MDCCXCIII.

[3]) Ioannis Tzetzae Antehomerica, Homerica et Posthomerica ex recensione Immanuelis Bekkeri. Berolini 1816.

ἔννεπε δ' Αἰθιόπων στρατόν, υἱέα τ' Ἠριγενείης.
φράζεο δ' Αἰακίδαο πότμον δακρυόεντα.
Εὐρύπυλόν τε ἄειδε καὶ υἱέα Αἰακίδαο,
μαντείας θ' Ἑλένου, καὶ Ἀλεξάνδροιο φονῆα.
εἰπὲ δὲ καὶ πτολίπορθον Ἐπειοῦ δούριον ἵππον,
εἰσόκεν ἤϊστωσε πελώρια τείχεα Τροίης.

Sed ne cocta recoquam, satis habeo paucis admonuisse Fridericum Iacobs de horum carminum indole, de argumento, in quo versatur Tzetzes, de fontibus, unde hauserit, diserte et eleganter disputavisse. [1])

Una tantummodo res nobis relicta est, cuius in investigatione feliciore quam Iacobs Marte nos pugnaturos esse speramus. De tempore enim, quo haec carmina scripta sint, vir ille doctissimus disserit Ioannem Tzetzam, cum carmen de rebus Troianis concinnaret, graves simultates gessisse cum Isaaco fratre, qui ἐπαρχίας munere fungebatur in urbe Berrhoea ad lacum Boebeidem, eiusque coniuge, quae maritum impulerat, ut fratrem non solum indignis munusculis exciperet, sed suis praeterea equis privatum remitteret. [2]) Atque haec ille eruit ex Homericorum vv. 142

Οἶσι χαμὲ καὶ ἄκων δειδίσκετο οὔλιος ἀνήρ,
ᾧ πρὶν ἐγὼ θήτευσα, κατηφὼν Ἰσαάκιος
ἠδ' ἄλοχος κείνου περικερδής, ἀγκυλόβουλος,
δειδιότες ἀμὴν ἀγέρωχον καλλιέπειαν.
Τίμων δ' ἀφρονέοντες, ὅσοι τοῖς αἴσχεα ἦσαν,
λεπροί, ψεδνοκάρηνοι, αἴδριες, ἄχθεα γαίης,
οὕνεκα τῇ πείθοντο παρὰ κρυφίοις λεχέεσσιν,
οὐδ' ὡς ἄλλοι ἀνήνανθ', οἳ περιώσιον ἆσθεν,
καὶ ἐσθλοί περ ἐόντες· σωφροσύνη δ' οὐ χραῖσμεν

et Posthomericorum vv. 284

Πεζὸς ἐγὼ τελέθων δέ, Ἰσαακίοιο φραδαῖσιν,
ὅς μ' ἀπὸ Βεῤῥοίης ἐριβώλακος ἠδὲ Σελάων
πεζὸν ἔπεμψε νέεσθαι, ἐμεῦ ἵπποιο ἀμέρσας,
ἧς ἀλόχου βουλῇσι σαόφρονος, ἥ οἱ ἅπαντας

---

[1]) Edition. praefat. p. XVIII sqq.
[2]) Edition. praefat. p. XV.

κύδηνε λεπρούς τε καὶ ὅσσοι νείκεος υἷες,
οὕνεκα οἱ καλῶς καταθύμια πάντα ἐρέζον. [1])

Sed ex his verbis nullo modo colligi potest hic intelligendum esse Isaacum Tzetzam. [2]) Tamen libro ipso adiutore de tempore, quo scriptus sit, ad certam venire possumus sententiam. Dicit enim Tzetzes Posthomericorum v. 753

Κεῖνος ταῦτ' ἐρέησιν ἀνήρ, γλῶσσα δ' ἄρ' ἐμεῖο
βουλῇ Ἰσαακίοιο δολόφρονος οἷ τε δάμαρτος
ἄρτου δευομένη καταΐσχεται, οὐδ' ἐπαείδει
οὐδὲ θέλει πονέειν, περὶ ἄλγεσι θυμὸν ἔχουσα.

Atque exstat scholium ad Exegesin in Iliadem ed. Herm. p. 5, 7, ed. Bachm. p. 747, 19 scriptum hoc: [Κο]μητῶν δὲ εἰ μαθεῖν θέλεις ἀ[ποτελ]έσματα καὶ σημεῖα, τὸ βάρος [τε] τῶν λόγων τοῦ ἀνδρὸς καὶ τὴν εὔ[λογον] καὶ φιλόσοφον αὐτοῦ [δεῖξιν], ἐμοὶ πρόσχες, οὐ φιλοσόφῳ [. . . . . .] κίῳ καὶ περιβλέπτῳ καὶ [φυσικ]ῷ, αλλὰ γραμματικῷ, [ἀπὸ γέ]νους μὲν τῶν λίαν εὐγενεστάτων [σπάσ]αντι τὴν σποράν, πένητι [δ' ὅμ]ως, καὶ δυστυχεῖ καὶ ἐγγωνι[οβόμβυκι] καὶ μηδὲ τρύφος ἡμερή[σιον ἔ]χοντι ἄρτου γυναικὸς δεσπότιδος κακοτρόποις ἐπιβουλαῖς. μαθήσῃ δὲ ὅσον ἐθέλεις περὶ τούτων καίτοιγε μηδὲν παρὰ μηδενὸς [πεπαιδ]ευμένῳ ἢ θυμοσόφως καὶ αὐτομαθῶς ἐξ ἀναγνώσεως βιβλίων πάντων μαθόντι μοι, ὅσα δὴ καὶ ἀνέγνων, καὶ τότε καὶ εἰκοστὸν πρῶτον [ἔχον]τι τῆς ἡλικίας ἐνιαυτόν. μετὰ γὰρ ἐκδρομὴν χρόνου τὴν τῆς ἡλικίας οὐδὲν τῶν σπουδαιοτάτων μαθημάτων ἀνέγνων, δι' ὑπερβάλλουσαν ἔνδειαν ἧς γυναικὸς τρόποις ἐδήλωσα. [3]) Quae, quamvis obscura sint et

---

[1]) Cf. scholium, quod noster ad hunc locum scripsit, hoc (edit. Iacobs. p. 123): πεζὸς ἐγὼ τελέθων, ὅτι οὐκ ἤμην ἐγὼ τοῖς τρωϊκοῖς ὁμόχρονος χρόνοις, οὐδὲ τῷ Σμυρναίῳ Κοΐντῳ, ἀλλ' οὐδὲ πέφυκα κατὰ τὸν τρωϊκὸν πόλεμον, τοῦτο πᾶσι κατάδηλόν ἐστι. Τοῦτο τὸ σχῆμα βαρύτης ἐπίκρυπτος τῷ ἀστεϊσμῷ, καὶ τραχεῖα καταφορᾷ, ὅτι πεισθεὶς ὁ σεβαστὸς Ἰσαάκιος τῇ τούτου συζύγῳ καὶ ἀφελόμενός με τοὺς ἵππους πεζὸν εἴασε πρὸς τὴν πατρίδα παλινοστεῖν ἐκ τῆς Βεῤῥοίας, ἧς εἶχε τὴν ἐπαρχίαν, καὶ τῶν Σελῶν οὐ τῶν περὶ Λάρισσαν, ὧν Ὅμηρος μέμνηται, οἱ νῦν χωρίον ὑπάρχοντες ἐντελὲς Σελουστίανοι λέγονται, ἀλλ' ἀπὸ Σελῶν * * * ᾧ παραῤῥεῖ ὁ ποταμὸς ὁ Στρύμων καὶ ἡ Βοιβηῒς λίμνη Βέρβισζα νῦν καλουμένη βαρβαρικῶς, ὡς καὶ οἱ Σελοὶ οὗτοι Σέλητζα.

[[2]) Hoc, ut in praefatione monui, ab Hartio demonstratum est l. l. p. 6 sqq.]

[3]) Edition. Hermann. p. 125, ed. Bachm. p. 827.

corrupta, tamen si comparamus cum versibus Posthomericorum modo laudatis, hoc colligi posse mihi videtur mulierem, quam in Exegesi narrat summa crudelitate in se uti, non aliam fuisse nisi uxorem Isaaci eparchi. Alio Exegesis loco (edition. Hermann. p. 15, 9, ed. Bachm. p. 753, 30) noster asserit se iam septem ac paene octo annos vitam egisse inopem, inertem, omnibus libris nudatum. Cuius rei causam fuisse malignitatem eiusdem mulieris non temere arbitramur. Cum igitur Exegesis in Iliadem, ut supra (p. 48 sqq.) demonstravimus, post annum 1141 et ante annum 1143 conscripta sit, apparet inimicitias, quas noster cum Isaaco illo eiusque coniuge excercuisset, septem annis ante i. e. post annum 1134 et ante annum 1136 ortas esse. Neque multo post hunc annum propter vehementem acceptarum iniuriarum dolorem puto haec carmina Homerica esse composita.

Hoc quoque opus scholiis instructum est, quae Fridericum Iacobs non universa publici iuris fecisse doleo.

Caput VII.

De Theogonia.

Bis Theogonia Ioannis Tzetzae in lucem edita est, primum a Bekkero e codice bibliothecae Casanatensis,[1]) tum a Matranga in Anecdotis.[2]) Aliquantum autem hae editiones inter se differunt: Matrangiana in versu

Ἐξ Ἐριβοίας γυναικός, Τεῦκρον ἐξ Ἡσιόνης[3])

desinit, in Bekkeriana centum sexaginta unus versus supra

---

[1]) Die Theogonie des Ioannes Tzetzes aus der bibliotheca Casanatensis, herausgegeben von Bekker in Abhandlungen der Königlichen Academie der Wissenschaften zu Berlin aus dem Jahre 1840, p. 147—169.

[2]) II, p. 577—598.

[3]) V. 616 edition. Bekkerian.

additi sunt. Sed in iis, quae amplectitur, Matrangiana auctior est. Nam et tres versus,[1]) qui apud Bekkerum desiderantur, praebet (unum omittit)[2]) et titulos singulorum capitum suppeditat et versus codicis Casanatensis corruptos corrigit.[3]) Neque in codice, quo Bekker usus est, tota Theogonia exstat. Cuius rei quae causa sit, librarius ipse dicit verbis hisce subscriptis: καὶ ἄλλοι πολλοὶ στίχοι ἦσαν διαλέκτων διαφόρων, ἀλλ' ἐγὼ παρέλειψα ταῦτα ὡς ἀνωφελῆ.[4])

Res igitur, quae hoc continentur libro, cognoscimus et ex inscriptione:

Ἰωάννου γραμματικοῦ ποίημα τοῦ Τζέτζου
αὐθωρὸν πάντῃ καὶ ἀμελέτητον
διὰ στίχων πολιτικῶν
περιέχον πᾶσαν θεογονίαν ἐν βραχεῖ
μετὰ προσθήκης καὶ τῶν ἐπὶ τὴν Ἴλιον ἀρίστων
Ἑλλήνων τε καὶ Τρώων[5])

et ex titulis singulorum capitum.

Prooemium autem edit. Bekker. vv. 1—47, quod in editione Matrangiana p. 577 inscribitur: πρόλογος πρὸς τὴν σεβαστοκρατόρισσαν, manifesto indicat Tzetzam hoc opus hortatu imperatricis Irenes scribendum suscepisse. Unde efficitur, ut illud post nuptias Irenes illius i. e. post mensem Ianuarium anni 1144 (cf. supra p. 8) compositum sit. Eodem spectat scholium ad prooemii Allegoriarum Iliadis versum 532 scriptum hoc: Ἕτεροι δὲ Ἀρκεσιλάου Προθοήνορα καὶ Κλόνιον μόνους φασὶν εἶναι ἀδελφούς, υἱοὺς Ἀστερόπης καὶ Ἀρηϊλύκου, ὡς καὶ ἡμεῖς ἐν ἑτέρᾳ γυναικείᾳ βίβλῳ ἐγράψαμεν·

---

[1]) Post v. 9 edit. Bekk. φιλεῖς τοὺς λόγους καὶ ποθεῖς ἐπεντρυφῶσα τούτοις.
„ „ 443 „ „ Τρὼς Ἶλον καὶ Ἀσάραγκον γεννᾷ καὶ Γανυμήδην
„ „ 478 „ „ Ὃν ἐξελὼν Ἀμούλιος κρατεῖ τῆς βασιλείας.

[2]) V. 112 edit. Bekkerian.

[3]) VV. 38. 269. 301.

[4]) Bekker. l. l. p. 169.

[5]) Ibid. p. 147. Matranga Anecd. Gr. II, p. 577.

Καὶ Προθοήνωρ, Κλόνιος σὺν τῷ Ἀρκεσιλάῳ,
Οἱ τῆς Ἀστερόπης υἱοὶ καὶ τοῦ Ἀρηϊλύκου. [1])

E quo scholio librarius codicis, quo Matranga in Allegoriis Iliadis edendis usus est, falso hos duos versus: καὶ Προθοήνωρ Κλόνιος etc. textui inseruit. [2]) Boissonade autem haec annotat: „videtur γυναικεία βίβλος opus quoddam fuisse in Augustae mulieris doctae usum eiusque iussu compositum". Sed impense miror viros doctos fugisse, unde hi versus petiti essent. Deprompsit enim noster eos e Theogonia (edit. Bekker. vv. 668 et 669), quam Irenes Augustae hortatu scripserat. Atque ita fit, ut Tzetzes libellum, de quo nunc disputamus, antequam Allegorias Iliadis scribendi initium fecerit, i. e. ante annum 1145 (cf. supra p. 48 not. 5), conscripserit. Quae opinio abunde comprobatur versibus Theogoniae Irenae scriptis hisce:

Εἰ δέ ποτε θελήσειας μαθεῖν καὶ πλατυτέρως
Κἀγώ σοι ταῦτα βουληθῶ μετὰ μελέτης γράφειν. [3])

Neque enim haec verba Tzetzes scripsisset, si iam ab eadem imperatrice Allegorias Iliadis componere iussus esset.

---

[1]) Boissonade p. 33. Cramer Anecd. Graec. Oxon. t. III, p. 378. Matranga l. l. II, p. 605.

[2]) Haec res aliquantum attulit ad opinionem nostram, quam p. 33 sqq. de numero versuum historiarum in medium protulimus, comprobandam.

[3]) Edition. Bekkerian. vv. 24 et 25.

Caput VIII.

Scholia ad Hesiodum.

Si operis, de quo modo diximus, titulum [1]) et res, quae priore illius parte continentur, [2]) consideramus, facile illud nobis succurrit nostrum non solum Homeri, sed etiam Hesiodi carminibus explicandis operam navavisse. Et re vera scholia ad Opera et Dies Hesiodi et ad Scutum Herculis [3]) scripsit, [4]) quorum altera cum Procli et Moschopuli, altera cum Ioannis Diaconi commentariis coniuncta a Thoma Gaisford (Poetae minores Graeci vol. III) foras missa sunt.

De horum commentariorum indole auctor ipse nos edocet verbis initio eorum positis. Quibus in Proclum vehementer invectus, quae optima sit species exegesis, sic exponit: Πρῶτα μὲν γὰρ ἐχρῆν διαίρεσιν φάναι τῶν ποιητῶν, καὶ τίνα τούτων χαρακτηρίσματα, καὶ τίνες τούτων οἱ περιβόητοι· ἔπειτα τὸ γένος εἰπεῖν τοῦ προχειμένου πρὸς τὴν ἐξήγησιν, καὶ τίνι συνήκμασε, καὶ πόσας βίβλους ἐξεπονήσατο, ποῦ τε καὶ ποίῳ τρόπῳ τὸν βίον κατέλυσεν· εἶτα τὴν

1) Eum ab Hesiodi Theogonia petitum esse per se intelligitur.

2) Cf. Tzetzae libri vv. 48—350 cum Hesiodi Theogonia inde a versu 132 usque ad finem.

3) Id Hesiodi esse opus Tzetzes pro certo habuit, cf. Gaisford, Poet. min. Gr. III, p. 17: Οὕτω δὲ ἐπιγέγραπται πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν ἑτέρων αὐτοῦ πεντεκαίδεκα βίβλων Ἀσπίδος, Θεογονίας, Ἡρωογονίας etc.

4) Facile suspicamur nostrum Theogoniae quoque Hesiodi explicandae operam impertivisse. Et revera in bibl. Lugdun. Bat. p. 345 Catalogi num. 23 laudantur Ioannis Tzetzae scholia in Theogoniam et reliqua. Saragossae, ut Riccardus Foerster Carolo Graux auctore benigne mecum communicavit, in bibl. S. Mariae de Pilár est cod. n. 2659 τοῦ σοφωτάτου κυρίου Ἰωάννου τοῦ Τζέτζου εἰς τὰ ἔργα καὶ εἰς τὰς ἡμέρας τοῦ Ἡσιόδου. Keilio autem teste (Mus. Rhen. nov. vol. VI, p. 109) codice Ambr. C. 222 continentur τῆς ἀσπίδος ἐξήγησις τοῦ τζέτζου κυ. ἰω. et τοῦ τζέτζου ἐξήγησις τῶν ἔργων καὶ τῶν ἡμερῶν ἡσιόδου.

βίβλον τούτου προχειρισάμενον, πρῶτον μὲν ἀκριβῶς τὸν αὐτοῦ φάναι σκοπόν, μετέπειτα δὲ καὶ τὰς μυθικὰς ἱστορίας εἰς πλάτος, εἶτα καὶ ταύτας ἀλληγορῆσαι, καὶ μέτρα καὶ τὰ λοιπὰ τῶν ἀναγκαιοτέρων σαφεστέρῳ καὶ διδασκαλικῷ τρόπῳ ἐπεξηγήσασθαι· ἀλλὰ μὴ λαβυρινθώδει καὶ ἀσαφεῖ καὶ χρήζοντι μᾶλλον αὐτῷ πλέον ἐπεξηγήσεως, ἤπερ τὰ προκείμενα πρὸς ἐξήγησιν. [1])

Restat, ut in tempus inquiramus, quo haec scholia conscripta sint. Quae post historiarum librum confecta esse non crederemus, etiamsi nullis eius locis ad ea revocaremur. Sed revocamur. [2]) Neque alibi hi commentarii a Tzetza commemorantur, atque nostrum est ex iis ipsis, quantum fieri poterit, explanare quod affirmavimus. Quam ad rem utilitatem quandam afferunt verba prooemii scholiorum haec: Περὶ μὲν τῆς τῶν ποιητῶν διαιρέσεως καὶ πρώην μοι ἐπεξείργασται μικρὸν συγγραμμάτιον αὐτοσχεδίοις συντιθέμενον ἰάμβοις, καὶ τῷ ἐμῷ δὲ ἀδελφῷ ἐκπεπόνηται λίαν κάλλιστα καὶ φιλοτιμότατα περὶ τούτου ἐν τῇ τοῦ Λυκόφρονος ἐξηγήσει. [3]) Omissa igitur hoc loco quaestione, utrum Ioannes Tzetzes, an frater eius Isaacus commentariorum in Lycophronem auctor sit, hoc tamen ex verbis modo laudatis colligi potest fratrem tum, cum ea scriberentur, inter vivos fuisse. Nam ubicunque fratris mortui Ioannes mentionem facit, semper pauca de obitu illius miserabili addere solet. [4]) Consequens igitur est haec scholia ante annum 1138 (cf. supra p. 6 sqq.) conscripta esse. Accedit alia res. Legimus in epistula octava, quae ante annum 1138 ad adulescentem quendam, cui nomen fuit Andronico, data est, haec: Ἔστω γὰρ ἐπὶ μνήμης σοι τοῦτο τὸ Ἡσιόδειον·

Αἰδώς τοι πρὸς ἀνολβίην, θάρσος δὲ πρὸς ὄλβον.

---

[1]) Gaisford. l. l. vol. III, p. 10. Doctissime de fontibus, unde Tzetzes hauserit, disputavit E. Scheer in commentatione, quam scripsit de Plutarchi in Hesiodi Opera et Dies commentario, Rendsburg 1870.

[2]) Chil. VI, 841 ἀλληγορήσας δ' ἔγραψα πρὶν Ἡσιόδῳ ταῦτα
cf. schol. ad O. et D. v. 42,
„ IV, 920 Ἄλλο τὸ ἀλληγόρημα εἶπον δ' ἐν Ἡσιόδῳ
cf. schol. ad O. et D. v. 32.

[3]) Gaisford. l. l. III, p. 11.

[4]) Cf. epistulas 10 et 13, Exeges. in Iliadem p. 111, 18, carmen de metris in Crameri Anecd. Gr. Oxon. vol. III, p. 302, 9 sqq., 306, 18 sqq.

Ad quem Hesiodi O. et D. v. 319 scholium a Tzetza scriptum exstat hoc: Αἰδώς τοι πρὸς ἀνολβίην ἐγὼ μὲν γράφω μετὰ τοῦ ν̄, καθὰ καὶ ἐξηγησάμην· οἱ δὲ λοιποὶ χωρὶς τοῦ ν̄ γράφουσιν.[1]) Iure igitur contendimus nostrum tum, cum hunc versum in epistula laudaret, scripturam eius iam constituisse. Quod utrum scholiis iam scriptis, an alias de hac re meditatus fecerit, illud quidem in disceptationem vocari potest. Sed si ea, quae supra (p. 57) disputata sunt, tecum reputaveris, solam hanc probabis sententiam scholia ad Hesiodum ante epistulam illam conscripta esse.

Caput IX.

a. Στίχοι περὶ διαφορᾶς ποιητῶν.
b. Ἴαμβοι τεχνικοὶ περὶ κωμῳδίας.
c. περὶ τραγικῆς ποιήσεως.

In nullo fere alio Tzetzae opere et edendo et explicando viri docti plus studii collocaverunt, quam in eo, quod vulgo nomine περὶ τῶν ποιητῶν διαφορᾶς appellatur. Primum enim editum est anno 1834 a Cramero,[2]) tum paucis annis post a Duebnero,[3]) tertium prior opusculi pars a Bachmanno[4]) foras est missa.

Divisum autem opus est in partes tres, quarum quaque quae contineantur res, inscriptiones indicant. Sed de indole eius nihil habeo, quod addam iis, quae K. O. Mueller libellum Tzetzae diligentissime interpretans in medium protulit.[5])

---

[1]) Gaisford l. l. III, p. 178.

[2]) Anecdota Graeca Oxon. vol. III, p. 334—349.

[3]) Museo Rhen. vol. IV, p. 393—409.

[4]) Ioannis Tzetzae opusculum περὶ τῆς τῶν ποιητῶν διαφορᾶς ed. Ludovicus Bachmannus, Rostochii 1851.

[5]) Mus. Rhen. V, p. 333—380. Scholien zu den in diesem Museum Jahrg. IV, S. 393 ff. von Herrn Dr. Duebner herausgegebenen Versen des Tzetzes über die verschiedenen Dichtungsgattungen.

De tempore autem, quo noster id conscripserit opusculum, hoc constat illud ante commentarios Hesiodeos compositum esse. Nam in iis, ut iam vidimus (p. 57) Tzetzes dicit: περὶ μὲν τῆς τῶν ποιητῶν διαιρέσεως πρώην μοι ἐπεξείργασται μικρὸν συγγραμμάτιον αὐτοσχεδίοις ἰάμβοις. Quae verba non alio nisi ad hos versus spectare ita in promptu est, ut res disputatione non egeat. Cum igitur scholia Hesiodea nostra opinione probata ante annum 1138 (cf. supra p. 57 sqq.) sint scripta, superiore quodam tempore hi iambi confecti sunt.

Hoc quoque opusculum scholiis a Tzetza illustratum est, quae a Duebnero et Cramero ll. ll. publici iuris facta sunt.

Caput X.

Στίχοι ἴαμβοι κλιμακωτοὶ πρὸς τὸν βασιλέα κύριον Μανουὴλ ἐπιτάφιοι.

Nonaginta unus versus, quos Tzetzes in Manuelis imperatoris mortem iambico metro composuit, a Matranga [1]) editi sunt. Hi iambi vocantur κλιμακωτοὶ, sed non sunt in eo genere, quod Draco Stratonicensis sic describit: κλιμακωτὸν δέ ἐστιν, ἐν ᾧ προϊὼν ὁ στίχος ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τέλους αὔξει τὰς συλλαβάς, οἷον·

ὦ μάκαρ Ἀτρείδη μοιρηγενές, ὀλβιόδαιμον. [2])

Immo noster κλιμακωτοὺς appellat, quod eodem verbo, in quo prior versus desinit, initium fit iambo sequenti hunc in modum:

Ἄναξ βασιλεῦ, σοῦ πεσόντος οὐ φέρω,
Καὶ μὴ φέρων τὸ πάθος αὐτὸς δακρύω,
Καὶ δακρύων τὸ φίλτρον εἰς σὲ δεικνύω,
Καὶ δεικνύων τὴν πίστιν αὖ ἐκτανύω etc.

---

[1]) Anecdota Graeca II, p. 619—622.

[2]) Draconis Stratonicensis liber de metris poeticis ed. Godofredus Hermannus, Lipsiae 1812, p. 140, 16 sqq.

Liquet autem, quanto taedio afficiamur, si has legimus metricas ineptias, neque res, quas hi iambi amplectuntur, plus habent delectationis. Tamen maximi sunt momenti,[1]) quod ex iis cognoscitur Tzetzam Manueli, qui anno 1180[2]) mortem obiit, superstitem fuisse.

Caput XI.

De scholiis in Aristophanem.

Postquam Angelus Maius Spicil. Rom. V, p. 247 in Ambrosianae bibliothecae codice Ioannis Tzetzae commentarium ingentem in Aristophanis comoedias exstare indicavit, Henricus Keil in codice C. 222 sup. 4. mai. bombycin. saecul. XIII Aristophanis fabulas tres Plutum, Ranas, Nubes cum Tzetzae scholiis invenit. Idem vir doctissimus duo prooemia, quae fabulis illis praefixa sunt, publici iuris fecit et subtilissime de iis disseruit.[3]) Negavit autem ex uno Tzetzae prooemio alterum ab altero homine diverso modo concinnatum et a tertio quodam, qui non nihil interesse inter priorem et secundam formam intellexisset, utrumque coniunctim positum esse. Quocirca Tzetzam alio tempore aliter scholiis suis praefatum esse arbitratus est. Et haec vera esse mihi videntur (cf. infra p. 62) et ea, quae ab eodem viro illustrissimo de nexu Parisini commentarii et scholii Plautini cum his prooemiis disputata sunt (l. l. p. 123 sqq.).

[[1]) Cum versus lege modo (p. 59) commemorata compositi sint, non facio cum Hartio, qui l. l. p. 75 hos iambos non Tzetzae esse existimat, quia meliorum iamborum leges non sequantur. Neque enim est, quod fidem non habeamus Matrangae versuum inscriptionem sic afferenti: Στίχοι τοῦ Τζέτζου ἴαμβοι κλιμακωτοί etc.]

[2]) Muralt l. l. p. 211, 1.

[3]) Ioannis Tzetzae scholiorum in Aristophanem prolegomena edita et enarrata ab Henrico Keilio. Musei philol. Rhenani novi vol. VI (a. 1847), p. 108 sqq. et 243 sqq., cf. Ritschl. opusc. I, p. 197 sqq.

Sed opera Tzetzae in Aristophane explicando posita non eis, quas diximus, tribus fabulis circumscripta est. In codice enim illo Ambrosiano post schedas 45—105, quas Plutus, Nubes, Ranae occupant, Keilio teste (p. 122) schedae 106 priore in pagina Equitum argumentum et primi quinque ipsius fabulae versus, in altera versus Tzetziani leguntur, quibus continetur argumentum Avium, praemissis aliis quibusdam, quorum hoc est initium: ὄρνιθες δρᾶμα κωμικὸν Ἀριστοφάνους· γραμματικὸς Βυζάντιος, οὕπερ (ὥσπερ?) Ἀριστοφάνης (fort. del.) ἔγραψε τὴν ὑπόθεσιν, ἣ κεῖται τῷ βιβλίῳ, Τζέτζης τὸ δρᾶμα τοῦτο δὲ θειάζει καὶ ἐξαίρει, ὡς Λυσιστράτην, Ἀχαρνεῖς, Εἰρήνην τε καὶ ἄλλα. Ex his intelligitur in ceteras quoque aut in plures certe quam in tres illas Aristophanis fabulas a Tzetza scholia composita fuisse. De quorum indole Keilius dicit (p. 123) conviciis quibusdam scriptoris et vanis iactationibus resectis ea cum scholiis a Kustero editis consentire.

Tempus autem, quo Tzetzes haec scholia conscripserit, prooemiis adiuvantibus indagari potest. Quorum in priore legimus: ὡς ἄρτι ποτὲ τὴν ἔφηβον ἡλικὸν πασῶν καὶ τὸν αἰθέριον ἐξηγούμενος Ὅμηρον, πεισθεὶς Ἡλιοδώρῳ τῷ βδελυρῷ, εἶπον συνθεῖναι τὸν Ὅμηρον ἐπὶ Πεισιστράτου ἑβδομήκοντα δύο σοφούς, ὧν ἑβδομήκοντα δύο εἶναι καὶ τὸν Ζηνόδοτον καὶ Ἀρίσταρχον (Keil. l. l. p. 116); in altero: Κἂν ὁ πεφυρμένος καὶ βδελυρὸς Ἡλιόδωρος, οὐκ εἰδὼς ὅτι ληρεῖ, φύρῃ καὶ πάντα σύμμικτον κυκεῶνα, μᾶλλον δὲ κοπρεῶνα ποιῇ, ἐπὶ Πεισιστράτου τὸν Ὅμηρον συντεθῆναι καὶ ὀρθωθῆναι λήρων παρὰ τῶν οβ, ἐπικριθῆναι δὲ πάντων τὴν Ζηνοδότου καὶ Ἀριστάρχου σύνθεσίν τε καὶ διόρθωσιν, καὶ ἡμᾶς ἔτι νεάζοντας καὶ πρώτους ὑπηνήτας τελοῦντας ἔπεισεν οὕτως ἔτι που ἐξηγουμένους τὸν Ὅμηρον, ὡς καὶ ἕτεροί τινες κομψοὶ καὶ αἰθεροβάμονες (K. l. l. p. 118). Quibus verbis quoniam noster fabellam de Homeri carminibus in Exegesi Iliadis [1]) prolatam correxit, utrumque

---

[1]) Edit. Hermann. p. 45, 27, ed. Bachm. p. 773, 3: Πεισίστρατος δὲ ὁ φιλολογώτατος ἐν χρόνοις τοῦ Σόλωνος τυραννήσας ἐν ταῖς Ἀθήναις κήρυγμα ἐξεκήρυξε τὸν ἔχοντα ἔπη Ὁμήρου ἀποκομίζειν αὐτὰ πρὸς αὐτὸν καὶ ἑκάστου ἔπους χρυσοῦν ἀντιφορτίζεσθαι νόμισμα· οὕτω δὲ συναγείρας αὐτὰ ἑβδομήκοντα καὶ δύο γραμματικοῖς ἑνὶ ἑκάστῳ ἐπέδωκε κατ' ἰδίαν τεθεωρηκέναι καὶ συνθεῖναι αὐτά· ἐκεῖνος δὲ τὴν ἑνὸς ἑκάστου αὐτῶν σύνθεσιν

prooemium post confectionem illius i. e. post annum 1143 (cf. supra p. 49) compositum est. Sed alterum altero tempore, nam in priore Tzetzes dicit: ὡς ἄρτι ποτὲ . . . τὸν αἰθέριον ἐξηγούμενος . . . εἶπον, in altero: καὶ ἡμᾶς ἔτι νεάζοντας καὶ πρώτους ὑπηνήτας τελοῦντας ἔπεισεν Ἡλιόδωρος. [1]) Exegesin autem Iliadis Theogonia (cf. supra p. 54 sqq.) eamque primi quindecim Allegoriarum Iliadis libri (cf. p. 55) excipiunt. Itaque res sic se habere videtur Tzetzam illo tempore, quo malignitatem dispensatoris Irenes Augustae moleste ferens Allegorias ad exitum adducere nollet, alio libro scripto (cf. infra p. 64 sqq.) ad Aristophanem studium suum conferentem scripsisse prius prooemium, tum a Cotertza, ut Allegorias perficeret, admonitum opus inceptum in aliud tempus distulisse. Allegorias autem Iliadis excipiunt Odysseae (cf. supra p. 45), quas cum post mortem Irenes imperatricis (cf. supra p. 46) i. e. post annum 1158 inceptae essent, non ante annum 1162 ad finem esse adductas probabile est. Tum vero Aristophani Tzetzes iterum operam navavit et altero prooemio scripto fabulas comici illius praeclarissimi scholiis illustravit.

Haec recte a nobis disputata esse firmatur iis, quae nunc consideremus. Epistula ad Epiphanium diaconum data redundat vocabulis ab Aristophane petitis. [2]) Iure igitur contendimus eam tum esse scriptam, cum noster lectioni fabularum Aristophanis operam aut daret aut dedisset. Est autem data circa annum 1170 (cf. supra p. 39). Quo fit, ut ante

---

ἀπεγράφετο. ὕστερον δὲ ὁμοῦ πάντας συναγαγὼν παρακλήσεσι μεγάλαις τε δωρεαῖς ἐκείνους δεξιωσάμενος ὑπέδειξε τὴν ἀπογραφὴν τῆς ἑνὸς ἑκάστου συνθήκης καὶ ἠξίωσεν αὐτοὺς φιλαλήθως καὶ ἀφιλέχθρως εἰπεῖν, ὅτου ἄρα εἴη κρείττων ἡ σύνθεσις· καὶ πάντες τὴν Ἀριστάρχου καὶ Ζηνοδότου ὑπερεξέκριναν, et ed. H. p. 125, 15 schol. ad 3, 10 ed. B. p. 825, 1 schol. ad 746, 9: Ὡς ὁ Ἀρίσταρχος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ] ἑβδομήκοντα καὶ δύο γραμματικοὶ σὺν Ἀριστάρχῳ ὑπὸ Πεισιστράτου ἀξιωθέντες τὰ Ὁμήρου ποιήματα σποράδην φερόμενα συντεθείκεσαν καὶ τὰς αὐτοῦ λέξεις [καὶ ἀπο]ρίας ἐπεξηγήσαντο.

[1]) Hac re abunde comprobatur Keilii opinio supra (p. 60) laudata.

[2]) Cf. Pressel. l. l. p. 1, not. 1.

hunc annum scholia in Aristophanum conscripta sint. Nam epistula ad Epiphanium missa Tzetzes statim ad librum historiarum scribendum properavit (cf. p. 39).

Caput XII.

De scholiis in Hermogenem.

Pauci scholiorum Tzetzae in Hermogenem libri manuscripti, [1]) qui in bibliothecis asservantur, publici iuris facti sunt. E codice Dresdensi aliqua excerpsit Walzius, [2]) Cramerus scholia, quae insunt in codice nunc Bodleiano olim bibl. Saibant. 45, vulgavit. [3]) Uterque autem codex mutilus est, sed sic, ut Dresdensis quaedam suppeditet, quae in Bodleiano non inveniuntur, hic contra quaedam habeat, quibus ille caret. [4])

Sed a scholiis, quae dicuntur, hoc nostri opus aliquid differt. Nam Tzetzes cum illud composuit versibus tum Hermogenis libros non tam explicavit, quam quae singulis eorum capitibus tractantur, breviter exposuit et, quae ipse sentiret, dixit. Qua in re saepe in Hermogenem invehitur, interdum eorum, qui ante tempora ipsius his libris illustrandis operam navaverunt, imprimis Georgii et Ioannis Doxopatri

---

[1]) Cf. de his Fabric. biblioth. Graeca ed. Harless. vol. VI, p. 72 et XI, p. 217.

[2]) Rhetores Graeci vol. III, p. 670—686.

[3]) Anecdota Graec. Oxoniens. vol. IV, p. 1—148. Omitto, quae Ruhnkenius ad Longin. sect. III, p. 236, Weiske et Koenius ad Greg. Cor. p. 329, Schaefer e codice bibliothecae Lugd. Batav. protulerunt, et quae Nackius ad Choerilum p. 189 et add. p. 272 e Dresdensi excerpsit. Pauca enim sunt, ita ut ex iis libri indoles cognosci non possit.

[4]) Cf. Walz. l. l. praefat. p. VI et Cramer, l. l, praefat. p. III.

sententias castigat. Ita fit, ut recte hic Tzetzae liber et „ἐπιτομὴ ῥητορικῆς“ [1]) et „Rhetorica contra Hermogenem [2]) appellentur. Tempus igitur, quo scholia Tzetzae in Hermogenem scripta sint, etsi certo indicare non possumus, suspicari tamen licet. Historiis enim nonnullis, quae ad artem rhetoricam atque ad Hermogenis opus spectant, [3]) Tzetzes

---

[1]) Ut in codice Dresdensi, cf. Walz. l. l. p. 670.

[2]) Secundum Catalogum mss. Angliae et Hiberniae vol. II, p. 59, n. 2181, codicum mss. Isaaci Vossii n. 70. Idem, ut videtur, codex Catalogo bibl. Lugduno. Batav. p. 395, n. 1 laudatur hisce verbis: „Hermogenis definitiones vel ὅροι, quorum ultimum est περὶ μεθόδου δεινότητος. Leguntur aversa p. 244 Τζέτζου λογισμῶν τῶν παλαιῶν καὶ νέων, in versibus, contra Hermogenem“. Neque igitur dubito, quin hoc codice scholia, quae vocantur, in Hermogenem contineantur. Accedit, quod Tzetzes ipse chil. XI hist. 369, qua Hermogenis quinque librorum argumenta copiose persequitur, dicit v. 353:

Ἐν τῷ περὶ μεθόδου δὲ δεινότητος βιβλίῳ,
Μηδὲν μεθόδου ἄξιον δεινότητος συγγράψας,
Πέντε δὲ καὶ τριάκοντα τρόπους διδάξας μόνους,
Καὶ τούτων ἄλλους ἀσαφῶς, ὥσπερ ὁ πρῶτος ἔχει,
Ἄλλους ψευδῶς, ἀτέχνως δέ, οὓς ἤλεγξεν ὁ Τζέτζης,
Ὡς ἄλλους πάλιν ἀλλαχοῦ ῥήτορας, φιλοσόφους,
Καὶ πᾶσαν τέχνην λογικὴν ἁπλῶς μετερχομένους.
Ὧν βίβλος ὅλη γέγραπται τῶν λογισμῶν τῷ Τζέτζῃ,

cf. eiusd. chil. v. 255 sqq. Etiam commentario inedito ab Ioanne Doxopatro in Hermogenis περὶ στάσεων librum conscripto, qui in codice Vindobonensi graeco philol. 130 legitur, Tzetzae scholia immixta esse certiorem me fecit Riccardus Foerster, qui codicem excutere nunc in animo habet.

[3]) Tzetzes his historiis diserte nos docet Hermogenis opus rhetoricum quinque libris constare ut

chil. XI, 109: Ἡ βίβλος ἡ ῥητορικὴ πλὴν τῶν σοφιστευόντων,
Ῥητόρων (συνηγόρων γὰρ ἑξήκοντα βιβλία)
Πεντάβιβλος ὑπάρχει μέν, εἰς πέντε διαιρεῖται,
Εἴς τε τὰ προγυμνάσματα, τὰς στάσεις, τὰς εὑρέσεις,
Εἰς τὰς ἰδέας τε αὐτὰς τὸ τέταρτον βιβλίον,
Εἰς τὸ περὶ μεθόδου τε δεινότητος τὸ πέμπτον.

Cf. chil. VI, 748 sqq. Atque revera insunt in cod. bibl. Medic. Laur. XXVII, plut. 60 quinque scripta Hermogenis atque etiam progymnasmata capp. XII distincta, quae primum locum inter scripta Hermogenis in hoc codice occupant. Cf. Bandin. II, col. 616.

contemni se queritur et indignatur se haberi pro rudi et indocto a Camatero eparcho ut

chil. XI, 217 Τζέτζης δ' ὁ ἀῤῥητόρευτος, ὁ ἀμαθὴς ἐπάρχῳ
Τῷ πανσεβάστῳ σεβαστῷ Καματηρῶν ἐκ γένους,
Ῥήτορα ὃς κήρυξεν ἀνακτορίοις ἐνὶ οἴκοις etc.

chil. XI, 253 Ἀλλ' ἤδη σε συνέχεεν ὁ ἀμαθὴς ἐπάρχῳ
„ „ 360 Ὧν βίβλος ὅλη γέγραπται τῶν λογισμῶν τῷ Τζέτζῃ,
Ὃς ἀμαθὴς κηρύττεται τῷ σεβαστῷ ἐπάρχῳ,

cf. chil. XI, 230. XII, 97.

Neque est dubium, quin eparchus ille, qui indoctum et litterarum rudem nostrum appellaverit, Andronicus fuerit Camaterus. Quem eo tempore, quo Manuel Comnenus Mariam, Raimundi Antiochiae principis filiam, in matrimonium esset ducturus i. e. anno 1161,[1]) eparchi munere functum esse cognoscimus e Cinnam. l. V, p. 210, 12 sqq.[2]) Nemo autem erit, quin concedat Camaterum hoc Tzetzae libro modo foras misso illud iudicium de nostro edidisse. Sed anni 1141 usque 1147 redundant studiis nostri Homericis (cf. supra pp. 44. 49. 55), aliis operibus occupati sunt anni 1158 usque 1180 (cf. supra pp. 39 sqq. 46. 62). Cum igitur non probabile sit Camaterum iam ante annum 1141 eparchi munere functum esse, in annos 1148 usque 1158 haec studia nostri rhetorica videntur cecidisse.

Nec vero equidem ignoro nostrum iam superiore tempore ad Hermogenis libros studium contulisse.[3]) Sed negaverim hac re opinionem nostram labefactari posse.

---

[1]) Cf. Muralt. l. l. p. 178.

[2]) Τότε δὲ ἐπειδήπερ ἐπὶ τὴν Μαρίαν ὁ γνώμων εἶδε, πυθόμενος βασιλεὺς ἄνδρας τῶν ἐπὶ δόξης ἐπ' Ἀντιοχείας ἔπεμψε τὴν κόρην αὐτῷ κατεγγυήσοντας . . . . . ἐν οἷς καὶ Ἀνδρόνικος ἦν ὁ Καματηρός, ὃς τὴν ἔπαρχον τότε διεῖπεν ἀρχήν, ἀνὴρ σεβαστότητι μὲν ἀξιωθείς, ξυγγενὴς δὲ βασιλεῖ καὶ αὐτὸς ὤν.

[3]) Cf. ep. 8 et carm. de metris, quod anno 1139 scriptum est, versus:
Ὁ ῥήτωρ Ἑρμογένης μέν φησιν εἰς τὰς εὑρέσεις,
λόγον τὸν τετρασύλλαβον μέχρις ἑξασυλλάβου etc.
Cramer anecd. Graec. Oxon. vol. III, p. 316, 10 sqq.

Caput XIII.

De carminibus ad calcem Chiliadum positis.

Ad calcem Chiliadum in codice Monacensi CCCXXXVIII et nonnullae Ioannis Tzetzae epistulae et tria carmina posita sunt; [1]) neque a proposito nostro alienum videtur esse investigare, qua re adductus librarius haec hic adiunxerit. Epistulas igitur propter arctissimum cum historiis nexum transcriptas esse et per se intelligitur et ex inscriptione apparet hac: Τζέτζου ἐπιστολαὶ διὰ ἱστοριῶν τινων τῶν προγεγραμμένων. [2]) Hac cognita re librarium similem ob causam carmina quoque hic posuisse facile succurrit. Quod comprobatur his rebus.

Sunt, ut modo (p. 64 sqq.) vidimus, Chiliadum loci, quibus Tzetzes se comtemni queratur et indignetur se haberi pro rudi et indocto. Quibuscum si contulerimus carminis, quod edit. Kiessling. p. 520—522 legimus, inscriptionem: Στίχοι ἰαμβικοὶ τοῦ αὐτοῦ ἀμαθοῦς καὶ ἀῤῥητορεύτου, ὥσπερ φασὶν οἱ θειάζοντες, οἷα ῥήτορες, οἵους Ἡρόδοτος λέγει βαρβαρωδεστέρους ἐθνέων ἁπάντων, imprimisque res, quae eo continentur, merito contendemus librarium nexu horum iamborum cum historiis illis recte cognito hoc carmen consulto hic posuisse.

Neque dissimilem ob causam versus, qui inscribuntur: τοῦ αὐτοῦ στίχοι ἡρωϊκοί Chiliadibus adiuncti sunt. [3]) Nam et primus versus hic

Τζέτζου ῥητορικῆς ἀδαήμονος ἥδε γε βίβλος

[1]) Cf. edition. Kiessling. p. 509 usque 526.
[2]) Edit. Kiessling. p. 523.
[3]) Edit. Kiessl. p. 520.

et sequentes quibus, noster viros suae aetatis de se studiisque suis rhetoricis maligne iudicantes ironice perstringit, ad eandem pertinent rem ac loci Chiliadum supra laudati. Quaerentibus autem nobis, quae sit βίβλος, cuius primo huius carminis versu mentio fit et quae ψία i. e. ludicra vocatur,[1] facile in mentem venit hoc esse carmen antecedens, cuius index est: παίδων ἀναγωγὴ συντελὴς τῷ νῦν βίῳ. Hoc carmen incipit a versu:

Ἡ βίβλος Ἄλφα Τζετζικῶν πονημάτων,

desinit in

Τὰ δ' ἄλλα κωφά, καὶ πλατύς ἐστι γέλως.[2]

His autem iambis Tzetzes mores suorum hominum deplorat atque castigat elegantissime.

Videmus igitur librarium haec tria carmina propter nexum cum historiis, quae ad scripta nostri in Hermogenem pertinent, a calce Chiliadum posuisse. Hinc efficitur, ut ea illo tempore, cum Tzetzes a Camatero ἀμαθὴς et ἀρρητόρευτος appellatus esset, scripta sint.

---

[1]) Ibid. v. 302: Ψία ἥδε βίβλος Τζετζηία
et v. 305: Ψία ἥδε βίβλος.

[2]) Falso Kiesslingium et, quem secutus ille videtur esse, librarium codicis Monac. 338 putavisse duo esse carmina, quod unum est, intelliges, si carminis, quod eius editionis prius est, versus 15:

Ἀλλ' ἐκδιδακτέον μοι τοῖς φυτοσπόροις,
Καὶ μᾶλλον αὐτῶν οἷς φιλόστοργος φύσις,
Ἣν νῦν ἀγωγὴν ἐκδιδάσκειν χρὴ τέκνα etc.

cum altero conferes. Neque igitur merito inter vv. 22 et 23 interposita sunt verba oratione soluta scripta: Τὸ εἶδος τοῦ λόγου .... τινὰ καὶ ἑτέρων ἰδεῶν. Immo notis inserenda erant, cum nihil sint aliud nisi scholium, quo qua dispositione et quo genere orationis usus sit, Tzetzes diserte indicat.

Caput XIV.

Ἰωάννου τοῦ Τζέτζου διδασκαλία σαφεστάτη περὶ τῶν ἐν τοῖς στίχοις μέτρων ἁπάντων· διὰ στίχων πολιτικῶν· τὰ δὲ προοίμια μόνα συντέθεινται διὰ στίχων ἡρωϊκῶν ὁμοίως καὶ ὁ ἐπίλογος.

Ioannis Tzetzae carmen de metris editum est a Cramero, Anecdot. Graec. Oxon. vol. III, p. 302—333. Prooemio versibus heroicis composito [1]) Ioannes hoc opus Isaaco fratri dedicat eiusque mortem deplorat. Sequitur carmen versibus politicis conscriptum de diversis versuum pedibus et de singulis metris. [2]) Epilogo brevi [3]) discipulis hic libellus commendatur.

E prooemio igitur tempus, quo hoc opus compositum sit, cognoscimus. Dicit enim Tzetzes illud se fratri mortuo dare νέρτερα δῶρα. [4]) Accedit, quod dolorem mortis Isaaci admodum recentem vehementemque esse reperimus. [5]) Itaque a vero non longe aberrabimus, cum hoc carmen non ita multo post mortem fratris i. e. post annum 1138 (cf. supra p. 6 sqq.) scriptum esse dicemus.

---

[1]) Cramer l. l. p. 302 usque 304, 5.

[2]) Ibid. p. 304, 6 usque 332.

[3]) Ibid. p. 333.

[4]) Ibid. p. 302, 9: Τὴν παρ' ἀδελφείῳ Τζέτζης θέτο νέρτερα δῶρα,
Τὴν θέτο νέρτερα δῶρα Ἰωάννης Ἰσαακίῳ.

[5]) Cf. imprimis prooemium et Cramer. l. l. p. 306, 17 sqq.

Caput XV.

De versibus iambicis, qui δράματος vicem gerunt.

Quinquaginta septem versus iambico compositi metro a Matranga l. l. II, p. 622—624 foras missi sunt. Hi versus δράματος gerunt vicem, cuius personas inscriptio [1]) has indicat: Ἀγροῖκος, Σοφός, Χορός, Μοῦσαι. Σοφός igitur, quam personam Tzetzam ipsum tueri facile est ad intelligendum, contra reliquos, qui vitam docti hominis summis laudibus efferunt, eamque quam felicissimam esse putant, deplorat miseram suam ipsius conditionem, eo quod vir doctus fortunam expertus sit parum propitiam, quae ignaris faveat et divitiis repleat.

Probabile autem est Tzetzam hos versus, si modo Tzetzae sunt, [2]) eo composuisse tempore, cum summa in egestate viveret. Quocirca putaverim id intra illos septem annos (1134 usque 1141) (cf. supra p. 53) factum esse, quorum miserias calamitatesque noster describit Exeges. in Iliadem edit. Herm. p. 15, 9 et schol. ad 5, 7, edit. Herm. p. 128 (cf. supra p. 52 sqq.).

---

[1]) Matranga l. l. II, p. 622.

[2]) Quamvis hi iambi ad Tzetzae mores quadrent, tamen non ab eo profectos esse crediderim, nam alibi (cf. appendicem ad Euripidis fragmenta ed. a. F. G. Wagnero, Paris 1846, p. 79 sqq.) versus 122 sub Plochiri nomine leguntur.

[G. Hart. et ea de causa et propterea hos versus Tzetzae abiudicandos esse censet, quod inter 57 versus poematis, in quo nulla lege adstrictae vocales δίχρονοι usurpantur, novem inveniuntur versus, qui non in paroxytona exeunt: quod Tzetzes, ut Hart demonstravit, in artificialibus versibus haud ita raro, in inartificialibus autem bis idque in ultimo complurium versuum fecit.]

Caput XVI.

De scholiis in Oppianum.

Satis constare mihi videtur Tzetzam in Oppiani Halieutica scholia conscripsisse. Nam et Montfaucon, bibliotheca bibliothecarum II, 772 e, e bibliotheca Cardin. Radulphi in Regia Paris. num. 29 ‚Tzetzae in Oppinianum' laudat, et Henricus Keil. Musei philol. Rhenani novi vol. VI, p. 110 indicat cod. Ambrosian. C. 222 sched. 258 v. suppeditare Ὀππιανοῦ ἁλιευτικῶν βιβλίον πρῶτον τοῦ μακαρίτου τζέτζου ἐξήγησιν, et Codex bibliothecae S. Mariae de Pilár Saragossae n. 2027, ab Andrea Darmario scriptus, Carolo Graux auctore, ut R. Foerster mecum communicavit, Τζέτζου σχόλια εἰς τὰ Ὀππιανοῦ ἁλιευτικὰ continet.

Scholia autem in Oppiani Halieutica, quae Bussemaker [1]) publici iuris fecit, non Tzetzae unius sunt, sed ex illius aliorumque commentariis congesta. Quod et ex scholiis ipsis intelligitur et comprobatur codicum Monacensium, qui cum libris, quibus Bussemaker usus est, consonant, [2]) inscriptione hac: Σχόλια εἰς τοῦ Ὀππιανοῦ Ἁλιευτικὰ ὑπὸ Τζέτζου καὶ ἑτέρων.

---

[1]) Scholia et paraphrases in Nicandrum et Oppianum ed. U. Cats. Bussemaker. Parisiis MDCCCXLIX.

[2]) Bussemaker l. l. praefat. p. IX.

Caput XVII.

De scholiis in Nicandrum.

Tzetzam Nicandri et Theriaca et Alexipharmaca scholiis illustrasse, etiamsi pro certo dicere non ausim, tamen crediderim. Nonnullis enim scholiorum illorum locis ad nostrum revocamur ut schol.

ad Theriac. v. 795: Τζέτζης φησὶ κακοφθόρα τέκνα οἱ σκορπίοι· τῷ σχολιάστῃ μὴ πείθου τῇδε, [1])

ad Alexipharm. v. 2: Τζέτζης· τέων, τῶν, ὧν δωρικῶς· καλῶς ἔχει, [2])

ad v. 570: Λαχειδέος δασέος ὡς οἱ πρὶν ἐξηγησάμενοί φασιν, ἢ ὡς ὁ Τζέτζης, πρασίζοντος, Λαχανοειδέος καὶ ἐν συγκοπῇ λαχειδέος. [3])

Probabile autem est haec non ad aliud Tzetzae opus spectare nisi ad exegesin, quam scripserit in Nicandrum.

Caput XVIII.

De Allegoriis Tzetzae a Morello editis.

Iam anno 1616 libellum, qui inscribitur: Ἰωάννου τοῦ Τζέτζου Ἀλληγορίαι· ἐκ τῆς χρονικῆς μετρικῆς βίβλου Fed. Morellus e bibliotheca Iani Rutgersii vulgavit. [4]) Quod opusculum

---

[1]) Bussemaker l. l. p. 197.

[2]) Ibid. p. 202.

[3]) Ibid. p. 218.

[4]) Ioannis Tzetzae allegoriae mytholog. physicae, morales. Graecum poema perelegans nunc primum prodit ex bibliotheca c. v. Iani Rutgersii i. c. Fed. Morellus. Lutetiae MDCXVI.

petitum esse ex opere, quod inscribitur: Ἀλληγορίαι Ἰλιάδος, Fabricius putavit. [1]) La Porte-du-Theil contra affirmavit [2]) carmen, quod Morellus edidisset, nihil habere commune cum Allegoriis illis. Quod quam recte sit dictum, neminem fugiet, qui alterum librum cum altero comparaverit. Ceterum versus Morelli rationem τοῦ ἀλληγορεῖν tractant dictaque exemplis confirmant.

Inscriptio autem ipsa: ἐκ τῆς χρονικῆς μετρικῆς βίβλου indicat hoc de Allegoriis carmen caput esse quoddam operis χρονικὴ βίβλος inscripti. Ad eandem igitur βίβλον pertinere videntur versus, quos noster laudat chil. XII, v. 717 usque 729:

Ταὐτὸ καὶ ὁ κροκόδειλος τοῖς ἀετοῖς ποιεῖ δὲ,
Ὡς καὶ αὐτός που ἔγραψα χρονογραφῶν ἰάμβοις·
Γεννᾷ μὲν ὠά, χηνικὰ δόξεις βλέπειν.
Ἐπὰν δ' ἀπ' αὐτῶν ἐκρυῇ τὸ σκύμνιον,
Ὁ θὴρ δικαστὴς γίνεται τῶν ἐκγόνων etc.

Unde hoc coniectura collegerim diversis huius libri capitibus diversas res tractatas fuisse. Qua opinione probata inscriptio ἡ χρονικὴ βίβλος librum significat, cui Tzetzes mandaverit, quae diversis temporibus de rebus diversis scripsit. [3])

Duobus Allegoriarum Odysseae locis noster nos ad Allegorias iambico metro scriptas revocat. Legimus enim Allegor. lib. VIII, v. 53: [4])

Οὕτω πῶς μετετρέπετο ἡ φύσις τοῦ ἀέρος
ποτὲ δὲ φλεκτικώτερον τὸ πῦρ ἐξαναθρῶσκον,

---

[1]) Biblioth. Gr. ed. Harl. vol. I, p. 404.

[2]) Censura editionis Iacobsianae „Ioannis Tzetzae Antehomerica, Homerica et Posthomerica" (cf. p. 50) in Millin Magasin encycl. a. VI, n. 21, p. 27 sqq.

[3]) Ad eundem librum Tzetzes nos revocat Allegor. Il. Σ, vv. 659 ed. Boiss.:

(ὁρᾶτε) καὶ τὰ ἐμὰ βιβλίδια, τὸ εὐτελές τε τόδε,
οἰκονομίᾳ συγγραφέν, σπουδῇ τῇ τῆς Ἀνάσσης,
καὶ ὅπερ παρεσπάρη μοι τῆς χρονικῆς μου βίβλου
τῆς ἱστορούσης τεχνικοῖς ἰάμβοις τὰ τῶν χρόνων,
ἀλληγοροῦν δὲ σύμπαντα συντετμημένῳ λόγῳ.

[4]) Matranga l. l. I, p. 268.

τὴν εὐκρασίαν ἔφθειρε τὴν σύζυγον Ἡφαίστου·
ἡλίου θέρμη δ' ἄκρατος ἔσχεν ὁρμὰς ἀτάκτους,
ἀφ' οὗ τὸν σφαίρας εὔτακτον δρόμον ἐτάχθη τρέχειν.
Ἥφαιστον ὅθεν λέγουσι τὸν Ἄρεα δεσμῆσαι·
ταῦτα δὲ ἠλληγόρησα πρὶν ἰαμβείῳ μέτρῳ,

et ibid. lib. IX, v. 92: [1])

Ἰφιμεδείας δέ τινος γενναίου Ποσειδῶνος,
Γίγαντες νέοι ἄθεοι γεννῶνται τῶν ἀφρόνων,
ὧνπερ αἱ κλήσεις Ὠτός τε καὶ Ἐπιάλτης ἦσαν,
οὓς ψυχικῶς, στοιχιακῶς ἐν στίχοις ἰαμβείοις
πρότερον ἠλληγόρησα.

Qui loci, nisi egregie fallor, spectant ad opusculi a Morello vulgati versus 414 usque 452.

Caput XIX.

De scriptis Tzetzae adhuc ineditis.

Multa Tzetzae scripta nondum publici iuris facta sunt. Horum Fabricius et Harlesius, qua erant diligentia, magnum numerum laudaverunt catalogis bibliothecarum usi. Neque inutile mihi videtur inscriptiones horum Tzetzae libellorum e ‚Bibliotheca Graeca' transcribere.

Legimus autem apud Fabricium-Harlesium p. 216: *Expositio Isagoges, seu libri de V vocibus Porphyrii, versibus politicis, in cod. Vindobon. VII n. 2. v. Lambec. VII, p. 140 Kollar. P. 220. Vindobonae in cod. CXXIV. n. 1. Io. Tzetzae varia opuscula et epigrammata, versibus politicis scripta, a Chiliadum historiis diversa atque inedita. Lessus inter haec Kollario, qui in Supplementis I, p. 704 sqq. illum cod. ubertim recenset, haud diversus esse videtur a lamentatione de imperatore occiso; n. 2 versus XXXIV de Chatzice quodam: n. 3. Naenia ad Augustam vel reginam; n. 4. Tzetzae de animalium proprietatibus opusculum, versibus politicis scriptum;*

---

[1]) Matranga l. l. I, p. 287.

5. eiusdem carmina varia, maximam partem epigrammata cum sacra tum profana ad patronos praesertim opis quaerendae gratia conscripta etc. — Selecta ex Tzetza, Romae in bibl. Vatican. v. Montfauc. l. c. p. 34 n. 935. — P. 241. Hypotheses in Culitzen et Gregorium grammaticum regium MSS. in iisdem codd. regiis teste Labbeo p. 134. — Mediolani in cod. bibl. Ambros. Io. Tzetzae ars metrica, carmine heroica; de pedum paritate; nota in epigrammata; in quosdam libros Homeri; comm. in Lycophron. v. Montfauc. Bibl. biblioth. MSS. p. 500 B. — In volumine quodam MSS. Vossian. Leidae est secundum catal. bibl. Leidens. p. 400 n. 1 fragmentum, quod praefert aliquid doricum, de variis rebus, ut περὶ ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ *etc. et ambigitur, an sit Tzetzae; notaturque in margine esse excursum in Diogenis Laertii fine. — Romae in cod. Vaticano de versibus politicis et heroicis; v. Montfauc. l. c. p. 8 C. — Florentiae in bibl. Laurent. cod. XIV n. 2 plut. 69 carmina quaedam: 1) iambicum, in quo indignatur Tzetzes in locum poeseos metris adstrictae politicorum versuum invaluisse usum.*

Sed non dubito, quin, si quis omnes omnium bibliothecarum catalogos perscrutetur, indicem Fabricianum auctiorem reddere possit. Quod faciendi potestas mihi nondum data est, cum in hac bibliotheca multarum et maximarum bibliothecarum catalogi desiderentur. [1])

---

[1]) Praeter ea, quae nonnullis locis (pp. 47, not. 3, 56, n. 4) attuli, in catalog. biblioth. Angliae etc. II, 2236 laudatum inveni „Ioannis Tzetzae lexicon vocum variarum“, quod in indice Fabriciano desideratur.

Immanuel Bekker, Anecdot. Graeca III, p. 1088 sqq. indicavit cod. Reg. 2594 f. 120—123 et Vatic. 1357 f. 44 praebere: Τοῦ φιλοσοφωτάτου κυρίου Ἰωάννου τοῦ Τζέτζου περὶ ῥημάτων αὐθυποτάκτων στίχοι πολιτικοί eiusque opusculi specimen dedit.

R. Foerster mecum benigne communicavit cod. Paris. Suppl. 316 contineri Tzetzae scholl. in Anthologiam et secundum Coxium (Report on the Greek Manuscripts of the Levant. London 1858, p. 51, n. 72) Io. Tzetzae expositionem in Aristotelis de partibus animalium librum in codice chartaceo in fol. sec. XIV in bibliotheca Monasterii S. Sepulcri Hierosolymis inveniri.

Pauca de scriptis, quae a nostro in libro historiarum laudantur, in medium proferam.

Chil. III, 55 sqq. Tzetzes narrat se iambos εἰς ναόν scripsisse, quorum sex laudat. Scholium igitur ad illos versus exstat hoc: στίχοι ἐμοί· ὅτε ταῦτα ἔγραφον, ἔτι κατεχρώμην τοῖς διχρόνοις ὡς οἱ βούβαλοι.[1]) Itaque noster hos iambos admodum adulescens videtur composuisse.

Iam opus inscriptum ἡ κόσμου ἱστορία[2]) laudatur chil. XII, 252:

Ἐγὼ δὲ νῦν τοὺς Μέτωνος ἐνιαυτοὺς εἰρήκειν
Καὶ μετρικῶς συνέγραψα τῇ κόσμου ἱστορίᾳ,
Ἰάμβῳ μέτρῳ τεχνικῷ, κἂν ἀτελῆ καὶ ταύτην
Ἀφῆκα, βλέπων σύμπαντας τὸν τεχνικὸν μισοῦντας,
Τὰ βάρβαρα δὲ στέργοντας.

Sed negaverim ex historiis 242 usque 245, ut vult Fabricius,[3]) colligi posse nostrum παροιμίας scripsisse. Disserens enim

περὶ τοῦ, ὁπόσον κολοιοῖς βασιλείας καθέστηκε μέλησις,
παροιμία ἡ λέγουσα, ἢ ἀετοῖς τῶν νόμων τοῦ Πλάτωνος,
παροιμία ἡ λέγουσα, καὶ ταῖς ἀηδόσιν Ἀριστοτέλους συλλογισμῶν,
παροιμία, εἰ βούλει, πρόσθες καὶ τῶν Χρυσίππου

nihil aliud dicit nisi sua ipsius esse haec proverbia et originem eorum indicat.

Neque e Chil. XI, 744:

Τοιαῦτα γράφουσι πολλοὶ ἐγκώμια καὶ ψόγους·
Ὡς Ἀλκιδάμας ἔγραψεν ἐγκώμιον θανάτου,
Ὁ Ἐλαΐτης, σύγχρονος ὑπάρχων Ἰσοκράτει.
Καὶ Τζέτζης Ἀλκιδάμαντι ἐπίσης Ἐλαΐτῃ
Καὶ ἔγραψε καὶ γράφει δὲ καὶ λέγει καθεκάστην
Ἐγκώμια εἰς θάνατον μυρία ὑπὲρ πάντας

Fabricius[4]) recte suspicatus est Tzetzam composuisse encomion

---

[1]) Pressel. l. l. p. 105.

[[2]) Hart l. l. p. 64 suspicatur hunc librum non diversum esse ab eo, qui βίβλος χρονικὴ inscribitur, de quo supra (p. 72) disputavimus.]

[3]) Biblioth. Graec. vol. XI, p. 219.

[4]) Biblioth. Graec. vol. XI, p. 219.

mortis. Nam versibus illis noster praedicat se quotidie et scripsisse et scribere plus mille mortis encomia, ad certum opus nos non revocat.

Caput XX.

De scholiis in Lycophronem.

De commentariorum in Lycophronis Alexandram auctore diversis temporibus diversa a viris doctis disputata sunt. Iis temporibus, quibus primae horum scholiorum editiones [1]) factae sunt, nemo dubitavit, quin ea, cum Isaaci Tzetzae nomen prae se ferrent, ab eo uno profecta essent. Hanc opinionem evertit Ioannes Potter, qui in prolegomenis commentarii in Lycophronis Alexandram scripti contendit [2]) scholia, quae Isaaci Tzetzae nomen ferrent, ab Ioanne, eius fratre, conscripta esse. Stilum, ait, et ingenium scholiastae Lycophronis cum scriptore Chiliadum historicarum in omnibus convenire, Ioannem ipsum se hunc commentarium scripsisse fateri et in Chiliadibus et epistula ad Basilium Achridenum data. Haec tum omnes fere crediderunt et consentaneum erat credere: commentarii illi quidem 'Ισαακίου τοῦ Τζέτζου inscripti erant, sed causa illius inscriptionis erat detecta, res ad liquidum perducta visa est.

Sed contra Potterum disputavit Christ. Godofredus Mueller, vir haud mediocriter doctus, qui putavit [3]) neque Isaacum, neque Ioannem Tzetzam solum, sed ambos fratres coniuncta opera haec scholia composuisse, ita tamen, ut Isaacus ea primum ederet, Ioannes vero recognosceret, emendaret, multis

---

[1]) Cf. de his editionibus Biblioth. Graec. Fabricio-Harlesian. vol. III, p. 754 sqq.

[2]) Apud Muellerum: 'Ισαακίου καὶ 'Ιωάννου τοῦ Τζέτζου σχόλια εἰς Λυκόφρονα vol. III, p. 1862 sqq.

[3]) L. l. praefat. q. XXXIV.

partibus augeret. Atque haec scholia quodammodo communia esse utriusque Tzetzae et Isaaci et Ioannis etiamnunc vulgaris opinio est. Sed mihi viri docti Muellero nimium tribuisse videntur. Examinemus illius argumentationem, qualis sit.

Tribus imprimis causis, ut Isaacum operis socium putaret, adductus est. Primum igitur ratiocinatur[1]) omnes eo tempore, quo haec scholia primum edebantur, certo credidisse, immo scivisse ea ab Isaaco Tzetza fuisse composita, cum omnes codices mss. ne uno quidem excepto nomen eius fronti inscriptum exhibeant. At nego ex hac re colligi posse Isaacum commentariorum in Lycophronem auctorem fuisse. Codices enim illi non ante saec. XIII[2]) scripti sunt, neque quidquam aliud ex inscriptione eorum iudicari potest nisi codicem, cuius apographa sunt, inscriptum fuisse: Τοῦ Ἰσαακίου τοῦ Τζέτζου σχόλια. Ioannes autem ipse aperte dicit[3]) se hoc opus Isaaci sub nomine honorique fratris edidisse. Ex his autem inscriptionis verba intelligi possunt, si Isaacus ne digitum quidem ad Alexandram interpretandam porrexit. Scholia Ioannis voluntate in archetypo inscripta fuerunt: Τοῦ Ἰσαακίου,

---

[1]) L. l. praefat. p. XXXVI.

[2]) Cf. E. Scheer: Die Ueberlieferung der Alexandra des Lycophron. Mus. Rhen. nov. vol. XXXIV, p. 209 sqq.

[3]) Edit. Pressel. ep. 21: Πρωτονοταρίῳ τῷ πατριαρχικῷ κυρίῳ Βασιλίῳ τῷ Ἀχριδήνῳ, ἐν τῇ εἰς τὸν Λυκόφρονα ἐξηγήσει Ἰωάννου τοῦ Τζέτζου ἐπιγραφὴν εὑρόντι Ἰσαακίου τοῦ Τζέτζου καὶ ἀπορουμένῳ.

Φειδίας ἐκεῖνος ὁ πλάστης Ἀγορακρίτῳ ποτὲ χαριζόμενος φιλίας θεσμῷ ἀνθρώπῳ γραφικῷ μὲν τὴν τέχνην, ἀλλ' οὐκ εὐχείρως γράφειν εἰδότι αὐτὸς εὖ μάλα πρὸς πλαστικὴν εὐτεχνίαν ἀγαλματώσας τὸ ἐν Ῥαμνοῦντι Διὸς καὶ Νεμέσεως ἄγαλμα τούτῳ ἀνέθηκεν ἐπιγεγραφὼς τῷ ἀγάλματι· Ἀγορακρίτου Παρίου, καὶ τὸ τῆς τέχνης ἐνδεὲς δι' ἐπιγράμματος ἐκείνῳ χαρίζεται. Εἶτα Φειδίας μὲν ξενίας θεσμῷ ἀνδρὶ δυσπαλάμῳ περὶ τὴν τέχνην χαρίσασθαι περὶ τὰ μέγιστα οὐ κατώκνησεν· ἡμεῖς δὲ περὶ τὸν ἀδελφὸν Φειδίου φανούμεθα δεύτεροι καὶ οὐκ ἐπ' αὐτῷ ταὐτὸ τούτῳ Φειδίᾳ ποιήσαιμεν εὐπαλάμων τε υμνων τελοῦντι κατὰ Πίνδαρον τέκτονι καὶ ἡμῖν στεργομένῳ ἀσύγκριτα, ἤπερ Φειδίᾳ ὁ Ἀγοράκριτος; Καθ' ὅσον ἄρα καὶ ἀδελφότης πρὸς θέλγητρα ξενίας ἐφελκτικώτερον, οὕτω κἀγὼ καὶ Φειδίας ἐκεῖνος τὰς ἐπιγραφὰς ἐπεγράψαμεν, ἀλλ' οὔτε ὁ Φειδίας ποτὲ οὔτε ὁ Τζέτζης νενόσηκε παραπληξίαν ἢ λήθαργον, ὡς ἐς τοσοῦτον ἐλάσαι τῶν μανιῶν, ὡς καὶ τοῦ οἰκείου λελῆσθαι ὀνόματος, καθά τινες ὑπετόπασαν.

hanc inscriptionem librarii invenerunt inventamque repetiverunt.[1]) Sed Muelleri opinio non modo non habet, quo comprobetur, verum etiam sunt, quae ei obloquantur. Ex inscriptione enim epistulae 21 hac: Πρωτονοταρίῳ τῷ πατριαρχικῷ κυρίῳ Βασιλίῳ τῷ Ἀχριδήνῳ, ἐν τῇ εἰς τὸν Λυκόφρονα ἐξηγήσει Ἰωάννου τοῦ Τζέτζου ἐπιγραφὴν εὑρόντι Ἰσαακίου τοῦ Τζέτζου καὶ ἀπορουμένῳ[2]) elucet Basilium Achridenum, antequam inscriptionem videret, pro certo habuisse hos commentarios conscriptos esse ab Ioanne Tzetza; atque epistula 42 demonstrat et μειράκιον quoddam et totum mundum scivisse hanc in Lycophronem exegesin esse eius, qui mittit epistulam i. e. Ioannis.[3])

Altera Muelleri causa primo obtutu plus valere videtur ad sententiam eius comprobandam. Versatur enim in eo,[4]) quod Ioannes Tzetzes ipse eruditionem fratris praedicat eique haec scholia tribuit in prolegomenis ad Hesiodum hisce verbis: Περὶ μὴν τῆς τῶν ποιητῶν διαιρέσεως καὶ πρώην μοι ἐπεξείργασται μικρὸν συγγραμμάτιον αὐτοσχεδίοις συντιθέμενον ἰάμβοις, καὶ τῷ ἐμῷ δὲ ἀδελφῷ ἐκπεπόνηται λίαν κάλλιστα καὶ φιλοτιμότατα περὶ τούτου ἐν τῇ τοῦ Λυκόφρονος ἐξηγήσει.[5]) Sed si propius ad haec verba accedimus, ne illis quidem Muelleri sententiam probari intelligimus. Nam Ioannes, qui, ut ipse testatur, sub Isaaci nomine hanc exegesin edidit, prolegomenis ad Hesiodum nihil fecit aliud, nisi sibi constitit, cum diceret haec quoque elegantissime in exegesi Lycophronis elaborata esse a fratre. Neque mirum est, quod tum fratri haec scholia tribuit, postea sibi vindicavit. Hesiodi enim exegesis, ut supra (p. 57 sqq.) demonstravimus, ante annum 1138 et, ut mox (p. 83) videbimus, non ita multo post hos commentarios scripta est. Posteriore

---

[1]) Pari modo iudicandum est de hexastichis et tetrastichis, quae scholiis Lycophronis adiuncta et in laudem Isaaci Tzetzae tamquam commentariorum auctoris facta sunt.

[2]) Pressel. l. l. p. 23.

[3]) Ibid. p. 36.

[4]) L. l. praefat. p. XXXIII.

[5]) Gaisford. l. l. p. 11.

vero tempore[1]) ab amico interrogatus furtoque hominis illius, de quo epistula 42 dicit, ut sua tueretur, coactus enarravit omnem rem, quo pacto se haberet.

Tertium argumentum ex ipsis scholiis eorumque codicibus mss. petitum tanti Mueller putavit[2]) momenti esse, ut omnem removeret dubitationem. Ad edenda enim Tzetzarum, ut opinabatur, scholia Mueller usus est codicibus Vitebergensi 1, Cizensi, Viteb. 2 et 3. Quorum priores duos, in quibus deessent omnia, quae carperent Lycophronem et quae Tzetzae nomen et doctrinam iactitarent, arbitratus est exemplum praebere recensionis Isaaci, posteriores vero Ioannis, quippe quae plenae essent iactantiae doctrinae, quam frater minor natu in reliquis suis libris ostendere soleret. Largimur Muellero duas exstare horum scholiorum recensiones easque aetate Tzetzarum factas. At quid est, quod priorem Isaaco vindicemus? Nihil. Neque ulla re impedimur, quominus statuamus eam quoque institutam esse ab Ioanne, utpote qui omnia fere sua scripta scholiis illustraret, qui duas faceret Allegoriarum Iliadis recensiones (cf. supra p. 45), duo scriberet prooemia in Aristophanem (cf. pp. 60 et 62). Videmus igitur nullam nobis imponi necessitatem Muellero assentiendi, etiamsi de ratione, quae inter codices intercedit, recte iudicaverit. Sed de codicibus res longe aliter se habet.

Cum Bachmanni[3]) enim tum Scheerii[4]) curis ad codices Lycophronis disponendos collatis exploratum est genus codicum esse triplex: primum antiquissimorum librorum vetera ὑπομνήματα continet, qualia ante Ioannis Tzetzae aetatem ferebantur; alterum eorum, quibus tota fere et integra Tzetzianae compilationis farrago continetur; tertium genus eos codices

---

[1]) Epistulae enim 21 et 42 intra temporis spatium inde ab a. 1139 usque ad a. 1143 scriptae sunt.

[2]) L. l. praefat. p. XXXVII.

[3]) Scholia vetusta in Lycophronis Alexandram. E codice bibliothecae Vaticanae antiquissimo edidit Ludovicus Bachmannus. Rostochii 1848.

[4]) Die Ueberlieferung der Alexandra des Lycophron von E. Scheer. Musei Rhenani novi vol. XXXIV (a. 1879), p. 272 sqq. et 442 sqq.

omnes complectitur, qui partem tantum Tzetziani operis exhibent, nunc longis enarrationibus aut recisis aut certa quadam ratione in brevius redactis, nunc poetarum locis vel omnibus vel plurimis saltem omissis, nunc scholiis temere et sine ullo consilio truncatis. In altero genere sunt codices Vitebergenses 2 et 3, in tertio Vit. 1 et Cizensis.

Quae cum ita sint, Muelleri argumenta a diversitate codicum petita nihil prorsus valent, neque dubito, quin vir ille doctissimus, si haec cognita habuisset, duos horum commentariorum auctores missos facturus fuerit. Ipse enim dicit[1]) se non ausurum fuisse affirmare Isaacum operis fuisse socium, nisi certa argumenta ex scholiorum codicibus petita afferri posse putavisset.

Causis igitur, quae obstare videntur opinioni Ioannem Tzetzam solum horum commentariorum auctorem esse, profligatis nunc consideremus, quid auctoritatis sit locis, quibus noster hoc opus sibi vindicat.

Paucos eorum iam supra (p. 77 sqq.) attigimus. In his erat epistula ad Basilium Achridenum, quae viros doctos primum turbavit et in causa fuit, ut Isaacum auctoritatis laude nudarent. Hac igitur epistula, de cuius inscriptione iam supra disputatum est (p. 77 sqq.), tradit noster, ut Phidias amicitia motus statuam, quam fecerat Iovis et Nemesis, inscripsisset: Ἀγορακρίτου Παρίου, sic se amore fratris adductum commentariis, quos in Lycophronem composuisset, inscripsisse nomen Isaaci. Huic igitur epistulae Mueller suspicatus est[2]) fraudis aliquid et ostentationis subesse, ita ut Ioannes discordiae inter se et fratrem ortae memor,[3]) cupidissimus cuiuscunque gloriolae, cum fratris opus emendasset, id pro suo venditavisset. Sed licet Ioannes fuerit cupidissimus gloriae, hac cupiditate illum permotum esse, ut per fraudem aliena sibi vindicaret, non consentaneum est credere. Neque credendum est eum

---

[1]) L. l. praefat. p. XXXVII.

[2]) L. l. praefat. p. XXXIV.

[[3]) Sed, ut iam supra (p. 52) indicavimus, Hart l. l. p. 6 sqq. probavit inimicitias inter Isaacum Tzetzam et Ioannem fratrem omnino non intercessisse.]

epist. 42 tam vehementer in furem invecturum fuisse, si ipse fuisset fraudator. Nonne fur ille omnia fecisset, ut palam faceret Ioannem Tzetzam eidem obnoxium esse crimini, quod ipsi vitio dedisset?

Omitto indicare multos Lycophronis exegesis locos cum aliorum Ioannis Tzetzae librorum locis ad verbum consentire, nihil dico de similitudine, quae est inter prolegomena ad Lycophronem et iambos nostri περὶ τῆς τῶν ποιητῶν διαφορᾶς,[1]) praetereo, id quod Bachmannus certissimum iudicat indicium, quo Ioannem Tzetzam possis agnoscere,[2]) nostrum saepenumero in enarrationibus a soluta oratione ad versus transire et in scholiis Lycophronis et in aliis suis scriptis. Nam illa communia erant omnium illius aetatis virorum doctorum, haec non multum valent, cum fratribus eodem modo eruditis [3]) eundem scribendi morem fuisse non sine causa aliquis dicat. Disputandum mihi est de locis historiarum libri, quibus Mueller non tantum tribuit, quantum iis tribuere debebat. Legimus enim chil. VIII, 478 sqq. histor. 204 eandem atque in epistula 42 enarrationem, sed auctiorem de furto scholiorum Lycophronis hunc in modum:

Λυκόφρονες γεγόνασι διάφοροι τὴν κλῆσιν,
Λυκόφρων παῖς τοῦ Μάστορος, ὡς Ὅμηρός που γράφει,
Καὶ ἕτεροι Λυκόφρονες σοφοὶ καὶ τῶν ἀσόφων.

---

[1]) Cf. Ioannis Tzetzae opusculum περὶ τῆς τῶν ποιητῶν διαφορᾶς ed. L. Bachmannus, Rostochii 1851, praefat. pp. III et V.

[2]) Scholia vetusta in Lycophronis Alexandram ed. L. Bachmannus, praef. p. VIII sqq.

[3]) Non dubium est, quin Isaacus quoque Tzetzes iisdem disciplinis et artibus ac noster eruditus sit. Quae res intelligitur ex carminis Ioannis de prosodia (cf. supra p. 68) verbis hisce:

Κἂν νῦν παρ' Ἅιδην ἀτυχῶς ἕσπερος κεῖται νέκυς,
ἐν ἐκστρατίᾳ μιαρᾷ λυγρὸν ἰδὼν τὸν μόρον,
ὁ φίλος Ἰσαάκιος ἐμὸς τερπνὸς συναίμων·
ὁ χρόνῳ πάντῃ νεαρὸς κατὰ δὲ φρένας γέρων.
ἐμοὶ γὰρ διδασκομένῳ τοὺς πόδας τοὺς τῶν μέτρων,
συνθολουμένῳ τε πολλὰ τῇ δυσκαταληψίᾳ,
τὰς κλήσεις ταύτας τέθεικεν ἕνεκα σαφηνείας.

Cramer Anecd. Graec. Oxon. vol. III, p. 306, 18.

Οὗτος ὁ παῖς τοῦ Λύκου δέ, εἴτε μὲν τοῦ Σωκλέους,
Λυκόφρων, ὁ καὶ σύγχρονος ὑπάρχων Πτολεμαίῳ,
Πολλὰ μὲν συνεγράψατο δράματα, τραγῳδίας,
Καὶ βίβλον, ῇ ἐπέγραψεν τὴν κλῆσιν Ἀλεξάνδραν,
Εἰς ἣν ὁ Τζέτζης ἔγραψεν ἐξήγησιν καὶ ἄλλας.
Ταύτην δὲ τὴν ἐξήγησιν ἐσφετερίζετό τις,
Οὐχὶ τὴν βίβλον παρ᾽ αὐτοῦ λέγων ἐξηγηθῆναι·
Ἀλλ᾽ ἑρμηνεύων τὰ ῥητὰ σύμπαντα τὰ τῆς βίβλου,
Τὴν βίβλον ἐπικρύπτων δὲ καὶ τοῖς φοιτῶσι λέγων,
Οἰκείου τέκνα λογισμοῦ, ἅπερ ἐφερμηνεύοι,
Ἀπόντα καὶ τὸν Τζέτζην δὲ καὶ λοιδορῶν καὶ τύπτων,
Ἕως πολλοὶ τῶν φοιτητῶν τῇ κέλλῃ τῇ ἐκείνου
Λαθραίως παρεισφρήσαντες ἐφεῦρον τὸ βιβλίον,
Καὶ τὸν ἐξηγησάμενον οὕτως ἐξυβρισμένον
Ἠλγύνοντο καὶ μάλιστα τοῖς εὐηργετημένοις,
Ἀνθ᾽ οὗπερ ἐκληρώσαντο μοῖραν τῶν παλαμναίων,
Ὥστε καὶ καθυβρίζεσθαι τοῖς εὐηργετημένοις.

Mueller igitur arbitratus est[1]) ὁ Τζέτζης vocem ad Isaacum Tzetzam referendam esse. Quid? An etiam ceteris Chiliadum locis, ubi scriptum invenimus ὁ Τζέτζης, revocamur ad Isaacum? Nonne hac historia illustratur epistula (cf. supra pp. 77 et 80), qua noster aperte dicit se hanc exegesin scripsisse? Eadem audacia usus Mueller negavit[1]) Chil. IX, 957 histor. 298

Ἔστι καί τι ζωΰλλιον φάλαινα καλουμένη,
Ὃ ταῖς λυχνίαις ἵπταται καὶ τῷ πυρὶ δὲ θνήσκει,
Παρὰ τὸ ἅλλεσθαι εἰς φῶς καὶ αὕτη καλουμένη.
Ἐν δὲ τοῖς εἰς Λυκόφρονα ἐμοὶ ἐξηγηθεῖσι
Καὶ περὶ τούτου ἔγραψα τότε τοῦ ζωϋλλίου.
Ἔστι καὶ ζῶον ἕτερον φάλαινα κεκλημένον,
Φάλαινα, ψύχη, ψώρα τε καὶ πυραυστούμορος δέ,
Ὅπερ φασὶ κοινότερόν τινες κανδηλοσβέστραν.
Τοῦτο δὲ βουβαλόπαπάς τις σύρειν οὐκ ἀνῆκε,
Πρὸς ὃν τὸ ἐπιστόλιον ἐγράφη μωμοσκόπον.[2])

---

[1]) L. l. praefat. p. XXXV.

[2]) Hac historia et quae eam sequitur noster explicat epistulam edit.

Isaacum plane privari iure suo. Credat Iudaeus Apella! Equidem credo his versibus, quibus noster, quae ad Alexandrae versum 84 [1]) annotaverat haec: φάλαινα ζωΰφιόν ἐστι ταῖς λυχνίαις ἐπιπετόμενον, ὃ καὶ πυραυστούμορος καὶ ψύχη καὶ ψώρα καλεῖται· λέγεται δὲ φάλαινα παρὰ τὸ εἰς φῶς ἅλλεσθαι, acerrime a μωμοσκόπου cuiusdam impetu defendit, certissimum fieri Ioannem non modo huius scholii, verum etiam omnium auctorem esse. Nam μωμοσκόπος ille, qui Ioannem Tzetzam propter hoc scholium comoedia quadam in Leonem Stypiotam patriarcham composita irriserat, [2]) sine ulla dubitatione totam exegesin Ioannis esse putavit, quoniam nescivit, id quod nunc viri docti pro certo habere videntur, [3]) Ioannem collectaneis suis fratrem in opere conficiendo adiuvisse. Itaque iam Leone Stypiota patriarcha (inde ab a. 1134 usque ad a. 1143) [4]) hos commentarios ab Ioanne Tzetza profectos esse vulgo est creditum. Neque est, quod non potius prioribus illius patriarchatus annis quam ultimis hanc fabulam datam esse putemus. Nam ante annum 1134 scholia in Lycophronem iam conscripta fuisse facile demonstrari potest. Vidimus enim supra (p. 57 sqq.) nostrum scholia ad Hesiodum ante annum 1138 perfecisse. Prius autem quam haec susciperet scribenda, Lycophronis exegesin confecit. Quod verba prolegomenon ad Hesiodum supra (p. 57) laudata haud ambigue indicant. Hinc elucet, cum scholia Hesiodea intra biennium conscripta esse probabile sit, commentarios Lyco-

---

Pressel. 64 τινὶ μωμοσκόπῳ datam hanc: Σὺ μὲν τὰς ἐμὰς φαλαίνας ἐμέμψω· σοὺς δὲ σοφοὺς Τηλέφους νενόμικας.

[1]) Cf. Mueller. l. l. vol. I, p. 371.

[2]) Cf. hist. 299, chil. IX, 967 sqq.:

Οὗτος ὁ βουβαλόπαπας μωμοσκοπῶν τοιάδε,
Ἃ ὠφελείας ἕνεκεν ἐγράφησαν τῶν νέων,
Αὐτὸς βαρβάρως ἔγραψεν ὡς δῆθεν κωμῳδίαν
Εἰς πατριάρχην τὸν Στυπῆν, ἅπερ φλυάρως εἶπε
Καὶ Τήλεφον ἐγκέφαλον εἰπὼν τοῦ πατριάρχου.
Βαβαὶ τῆς βαρβαρότητος καὶ τῆς ἀναισθησίας,
Ψύχας ἐμὰς φαλαίνας τε καὶ τὰ τοιαῦτα σύρει.

[3]) Ut E. Scheer Mus. Rhen. vol. XXXIV, p. 443.

[4]) Muralt l. l. p. 133, 1 et 144, 10.

phronis nostrum non post annum 1136 confecisse. Sed ante a. 1134 et post a. 1136 Tzetzes Berrhoeam iter fecit, quo itinere facto statim composuit carmina Homerica (cf. supra p. 53). Itaque scholia Lycophronea iam ante annum 1134 conscripta sunt.

De indole horum scholiorum nuper diserte et diligenter egit E. Scheer in Musei Rhenani novi vol. XXXIV (a. 1879) p. 272 sqq. et 442 sqq., atque satis habeo haec indicavisse. Sed quamquam vir ille doctissimus argumentum, quo Muelleri opinio fulcitur, subvertit, tamen putat (l. l. p. 442 sqq.) Isaacum Tzetzam scholiorum in Lycophronem auctorem esse, quia inscriptiones codicum et epigrammata operi adiuncta illius nomen exhibeant. Epistula autem ad Basilium Achridenum ait Ioannem totam exegesin sibi vindicasse, quippe qui collectaneis suis fratrem in opere scribendo adiuvisset. Hanc opinionem probare studet scholii corrupti ad Alexandrae v. 1226 verbis hisce: Ἰωάννης δὲ ὁ φιλόπονός φησι εἶναι . . . . Ιωάννην enim φιλόπονον arbitratur intelligendum esse Ioannem Tzetzam, quod ratum facere conatur dicens nostrum ipsum de se Exeges. in Iliadem edit. Herm. p. 3 praedicare:

γραμματικὸς περίαλλα μογήσας Ἰωάννης,
τὸν Τζέτζην καλέουσιν ἐπωνυμίην ἐρέοντες.

Sed de codicum inscriptionibus (supra p. 77 sqq.) et epigrammatis (supra p. 78 not. 1) et de fide epistulae 21 (p. 80 sqq.) satis a nobis disputatum est. Hic quaestio est de scholio. Primum autem omnium est tenendum nos non alicunde compertum habere Ioannem fratri in opere scribendo auxiliatum esse. Nam quod Scheer (l. l. p. 443) e locis nonnullis epistularum et libri historiarum iudicat Ioannem Lycophroni explicando operam navavisse, verum est illud quidem, sed ex eo nostrum fratri opitulatum esse effici non potest. Iam verba Exegesis in Iliadem γραμματικὸς περίαλλα μογήσας ad miserias spectant, quibus noster eo tempore, quo hanc conficiebat, affectus erat (cf. supra pp. 49. 52 sqq.), neque crediderim vocem φιλόπονος eodem pertinere. Nam calamitates illae post annum 1134 (cf. p. 53) ortae sunt, quo tempore commentarii ad Lycophronem iam perfecti erant. Si igitur quis putet hoc vocabulum ad multa et varia nostri studia referendum esse, nescio, quo

pacto id in Ioannem Tzetzam quadret, qui tum, cum haec scholia scriberentur, aut nihil omnino aut pauca levioris momenti perfecerat. Quae cum ita sint, negaverim verba Ἰωάννης ὁ φιλόπονος ad nostrum spectare, neque intelligo, cur non de Ioanne Philopono grammatico cogitemus. Nam licet Ioannes Tzetzes ad Alexandram explicandam nullis aliis subsidiis usus sit nisi scholiis veteribus, ad augenda tamen haec illum alia multa in manibus habuisse et probabile est et a Scheerio ipso conceditur (l. l. p. 446). Neque igitur est, quod infitiemur nostrum Ioannis quoque Philoponi, qui multa multis tractavit libris, [1]) scriptum quoddam in usum suum convertisse. E verbis enim scholii ad Lycophron. v. 1226 apparet etiam loco corrupto illo de Alexandrae auctore disputatum esse. De eo autem Ioannes Philoponus nescio ubi agere potuit, etiamsi in opus ipsum exegesin non scripsisset.

Quid autem sibi velint Scheerii verba haec (l. l. p. 443 sqq.): ‚In den Chiliaden erwähnt er (Ioannes Tzetzes) nur seines eigenen Commentars IX, 960 ἐν δὲ τοῖς εἰς Λυκόφρονα ἐμοὶ ἐξηγηθεῖσι καὶ περὶ τούτου ἔγραψα τούτου (sic!) τοῦ ζωυλλίου. VIII, 484 Ἀλεξάνδραν, εἰς ἣν ὁ Τζέτζης ἔγραψεν ἐξήγησιν‘, non satis intelligo. Vix enim credendum est virum illum doctissimum arbitrari non solum Isaacum Tzetzam, verum etiam Ioannem commentarium in Lycophronem scripsisse; nam de hac re nihil habemus cognitum. Sin autem opinatur nostrum versibus Chiliadum nos ad locos scholiorum Lycophronis e collectaneis suis petitos revocare, non intelligitur, quo pacto haec appellare potuerit ἐξήγησιν.

Nostra igitur de commentariorum Lycophronis auctore opinione probata scholia quoque in Pindarum recentiora essent Ioannis Tzetzae, si omnino essent Tzetziana. Sed non sunt. Quod demonstravit Demetrius Semitelus ita ut persuaderet in Πινδάρου σχολίων πατμιακῶν προλόγου θ′ usque κδ′.

Haec habui de Ioannis Tzetzae scriptis quae dicerem.

---

[1]) Cf. Biblioth. Graec. Fabricio-Harles. vol. X, p. 639 sqq.

B. De vita Ioannis Tzetzae.

Ioannes Tzetzes, qua erat arrogantia et iactantia, occasione oblata multa de se ipso scriptis suis iniecit, atque primo obtutu facillimum videtur esse de vita eius disserere. Sed si Fabricii de Ioannne Tzetza commentationem [1]) cognoscimus admodum brevem exilemque, si reperimus eam a viris doctis, qui post eius aetatem de litterarum historia tradiderunt ne ulla quidem parte auctam esse, rem difficultatis aliquid habere in promptu est. Cum igitur scripta Tzetzae sint fons fere unicus rerum, quae ad vitam eius cognoscendam magnum faciunt momentum, necesse putavi esse de horum omnium indole et temporibus, quibus confecta essent, prius me disputare, quam vitam nostri scribendam susciperem. Quocirca et nova quaedam me prolaturum et nonnullos Fabricii errores correcturum esse spero.

Disputationem autem in sex partes dividam, quarum prima est de nomine Tzetzae, altera de anno, quo natus et quo mortuus sit, de parentibus tertia, quarta de eruditione, quinta de conditione vitae rebusque domesticis, de moribus sexta.

Ordiamur a nomine Tzetzae. Camerario [2]) visum est illud alludere ad Hebraïcum Seth, quia noster ipse suum genus Syrum esse fateretur. Id confidenter nego. Nam de quo loco Camerarius cogitavit chil. VI, 283:

Σύρον τὸν Τζέτζην βλέπε νῦν, Ἰσμαηλίτην ἅμα,
Καὶ ταῦτα διαρθροῦντά σοι ταῖς γλώσσαις ταῖς ἐκείνων

[1]) Cf. Bibliothecae Graec. cur. Harless. vol. XI, p. 228 sqq.
[2]) In epistolarum familiarum libr. VI, ed. Francofort. 1583, p. 411.

Tzetzes propterea se Syrum appellat, quod etiam sermonis Syri peritus sit. Quid autem sibi velit nomen Tzetzae, quod sine dubio pronuntiatione et forma barbarica diminutum est, indicare nequeo. Noster enim περὶ χαριτώνυμος ἤτοι Ἰωάννης historia 126 chil. VII, 249 haec dicit:

Ἑβραϊκῶς τὸ ἰαὼ ἀόρατον σημαίνει
Ὁ Ἰωνᾶς περιστεράν, ὁ δ' Ἰωάννης χάριν,

nihil profert de vi nominis Tzetzae. De nominis forma Latina „Cecius" Ritschelius disputavit in Corollario disputationis de bibliothecis Alexandrinis deque Pisistrati curis homericis, Bonnae 1840, § 3, p. 7 sqq. (opuscul. philologic. I, p. 128 sqq.). Quocum consentio. Hoc unum non crediderim, quod dicit Tzetzam ipsum se „Κέκος" appellasse ad Lycophron. v. 727. Nam hoc nomen tantummodo in codice Vaticano 972 exeunte saeculo XVI exarato [1]) legitur, neque dubito, quin illa scriptura a librario quodam Latino profecta sit. Atque haec quidem de nomine.

Nunc videamus, quo tempore noster natus sit. Legimus in schol. ad Exegesin in Iliadem 5, 7 edit. Hermann. p. 128, ed. Bachm. p. 827, 13 haec: καίτοιγε μηδὲν πάρα μηδενὸς [πεπαιδ]ευμένῳ ἢ θυμοσόφως καὶ αὐτομαθῶς ἐξ ἀναγνώσεως βιβλίων πάντων μαθόντι μοι, ὅσα δὴ καὶ ἀνέγνων, καὶ τότε καὶ εἰκοστὸν πρῶτον [ἔχον]τι τῆς ἡλικίας ἐνιαυτόν. Supra (p. 83) autem demonstravimus illum scholiorum in Lycophronem scribendorum ante annum 1134 initium fecisse. Quod cum primum nostri opus sit memorabile, non alienum videtur putare eum illo scholio, quo aetatis suae annum vicesimum primum commemorat, nos ad tempus, quo hos commentarios scribere inceperit, revocare. Quod si ita est, Ioannes Tzetzes ante annum 1113 est natus. Atque profecto illum non post hunc annum in lucem susceptum esse multis documentis probari potest. Ut praetermittam locos epistularum, e quibus nostrum iam anno 1165 aetate affecta fuisse (cf. supra p. 11) apparet, ut omittam dicere de epistulis edit. Presselian. 2 usque 9 ante annum 1138 datis, quae eum tum non puerum, sed iuvenem fuisse

[1]) Sebastian. praefat. p. XXXVIII.

dilucide indicant, ut praeteream Tzetzam quibusdam Chiliadum locis se capulo vicinum appellare (cf. supra p. 33 et chil. VIII, 190): per se intelligitur nostrum, cum scholia in Lycophronem et Hesiodum scriberet, certe vicesimum annum iam egressum esse. Cui opinioni non repugnat, quod in prooemio altero ad Aristophanem dicit se νεάζοντα καὶ πρώτους ὑπηνήτας τελοῦντα ab Heliodoro deceptum fabellam de Zenodoto et Aristarcho in Exegesi Iliadis protulisse.[1]) Nam in liquido est Tzetzam, qua erat arrogantia, errorem, in quem lapsus erat, iuvenili quadam credulitate excusare studuisse.

Annum, quo mortuus sit Tzetzes, pro certo dicere nequeo. Hoc unum constat eum Manueli imperatori, cuius in mortem epitaphium scripsit (cf. supra p. 59 sqq.), superstitem fuisse. Hinc efficitur, ut anno 1180[2]) inter vivos fuerit. Quae autem Chauffepié, Nouveau Dictionnaire historique et critique tom. IV, p. 534 dicit se putare, quod in bibliotheca Regia Paris. inveniatur carmen „de imperatore occiso" ad Andronici Comneni necem (1185)[3]) spectare, nec probare nec negare audeo.

Tertium est propositum, ut de parentibus Ioannis Tzetzae verba faciamus. Natus est patre Michaele,[4]) matre Eudocia.[5]) Matris avia fuit Abasgis quaedam, quae cum Maria Alaniensi Constantinopolim venit.[6]) Ex ea genuit quidam uxore priore mortua aviam nostri,[7]) quae ab Eudocia imperatrice adoptata in matrimonium data est Georgio ἐξάκτορι, cuius nomen etiam tum, cum Ioannes Tzetzes librum historiarum conscriberet,

---

[1]) Cf. supra p. 62. Keil in Musei Rhenan. novi vol. VI, p. 118 sqq.

[2]) Muralt l. l. p. 211, 1.

[3]) Ibid. p. 224, 9.

[4]) Chil. V, 613: Πατὴρ δὲ τούτου Μιχαήλ, ὃς καὶ παιδεύει τοῦτον
Ἐν λόγοις καὶ τοῖς πράγμασιν ὡς τὸν υἱὸν ὁ Κάτων.

[5]) Chil. V, 611: Τὴν κλῆσιν Εὐδοκία μέν, μήτηρ δ' αὐτοῦ τοῦ Τζέτζου.

[6]) Chil. V, 589: Τῆς Τζέτζου μητρομήτορος ἡ Ἀβασγὶς ἡ μητήρ,
Σὺν τῇ δεσποίνῃ Μαριάμ, τῇ Ἀβασγίσσῃ λέγω,
Ἣν οἱ πολλοὶ Ἀλάνισσάν φασιν οὐκ ἀκριβοῦντες,
Ἦλθεν εἰς Μεγαλόπολιν ὡς συγγενὴς καθ' αἷμα.

[7]) Chil. V, 598: Μετὰ θανὴν τῆς ἑαυτοῦ παρθενικῆς συζύγου
Γεννᾷ τὴν μητρομήτορα, ἣν ἔφημεν, τοῦ Τζέτζου.

laudibus efferebatur.[1]) Avum habuit paternum Ioannem Tzetzam litterarum quidem rudem, sed eruditorum hominum amicum.[2])

Frater Ioannis erat Isaacus Tzetzes. Hic vero, quamvis eum commentariorum in Lycophronem auctorem esse negemus, tamen non illitteratus fuit. Ioannes enim eum in epist. 21 edit. Pressel. εὐπαλάμων ὕμνων κατὰ Πίνδαρον τέκτονα appellat, atque sub eius nomine Cramer Anecdot. Graec. Paris. vol. I, p. 59 usque 162 carmen de metris Pindari publici iuris fecit. Quod quin ille scripserit, dubitari non potest. Nam id et e codicum quorundam inscriptionibus[3]) elucet, et Ioannes ipse fratris rerum metricarum scientiam praedicat carm. de metris verbis hisce:

ἐμοὶ γὰρ διδασκομένῳ τοὺς πόδας τοὺς τῶν μέτρων,
συνθολουμένῳ τε πολλὰ τῇ δυσκαταληψίᾳ,
τὰς κλήσεις ταύτας τέθεικεν[4]) ἕνεκα σαφηνείας.[5])

Mortuus autem est Isaacus Tzetzes anno 1138 Rhodo in insula succumbens laboribus belli, cuius socius fuit, ab Ioanne Comneno cum Chalep oppido gesti (cf. supra p. 6 sqq.).

Sequitur, ut de educatione nostri disseramus. Cum igitur adolevisset, patris diligentissima usus est institutione, qui Catonis exemplum secutus ipse praeceptor filii fuit eumque non modo litteris et artibus imbuit, verum etiam mores corrigere studuit hortatus, ut opes contemneret, nihili faceret

---

[1]) Chil. V, 604: Ἥπερ καὶ ἡ βασίλισσα γίνεται θέσει μήτηρ,
Ἡ Εὐδοκία ἡ κλεινή, καὶ ζώνην διδοῖ ταύτης
Ἐς τρίτην ἐξαρκέσασαν τὴν γενεὰν ἐκτρέφειν.
Ἐφ' ᾗ γαμβρὸν ἐξάκτορα Γεώργιον ἐσχήκει,
Πολλὰς ἀρχὰς ἀνύσαντα πρακτορικὰς θεμάτων·
Οὗ καὶ θανόντος ὄνομα βοᾶται νῦν ὡς ζῶντος.

Ad hanc maternam aviam spectant loci, quibus noster praeclaram generis sui originem praedicat ut epp. 5. 6. 55, chil. I, 280.

[2]) Chil. V, 615: Υἱὸς οὗτος ὁ Μιχαὴλ ἦν Τζέτζου Ἰωάννου,
Γράμμα μηδέν τι μηδαμοῦ τὸ σύνολον εἰδότος,
Εἰς πάντα χρόνον δὲ σοφοὺς τοῖς οἴκοις ἑστιῶντος.

[3]) Cramer. l. l. p. 59, not.

[4]) Scil. Ἰσαάκιος, cf. supra p. 81, not. 3.

[5]) Cramer Anecd. Graec. Oxon. vol. III, p. 306, 22 sqq.

potentiam, minime cupidus esset τῆς πρωτοεδρίας.[1]) Utrum noster aliis quoque praeceptoribus usus sit, necne, nescimus.[2]) Patris institutioni subsidio venit memoria felicissima filii,[3]) qua adiutus lectione assidua poëtarum, oratorum, historicorum omnis aevi, mathematicorum etiam et philosophorum cuiuscunque generis eruditionem sibi comparavit neutiquam vulgarem, ut ex libris eius licet cognoscere. Verum haec hactenus.

Nunc dicamus de conditione vitae rebusque domesticis nostri. Primum γραμματέως munere, ut Michael Psellus iuvenis,[4]) functus est. Quod et ex epistulae 6, qua Isaacum Comnenum, ut scribam suum dimittat, obsecrat verbis his: ὑπὲρ ὧν ἁπάντων (scil. γραμματέων) ἐγὼ ὑπέρ τε ἐμοῦ ἑαυτοῦ πόλεμόν σοι ἀροῦμαι οὐκ εὐκατάσπονδον et ex epistulae 18 hisce: ἵνα τις εἴπῃ τι περὶ σοῦ καὶ ὀψιγόνων ἀνθρώπων, ὡς ὁ Σερβιλίων Καισάρων ἀπόγονος αἰτησαμένῳ ποτέ τινι γραμματεῖ (i. e. Tzetzae) τοὺς χόρτους εἰς ἀνθρώπους μετέβαλε elucet. Sed mox ab hoc munere se abdicavit totumque se dedit litteris. Neque solum libros conscripsit multos, sed etiam pueris erudiendis operam navavit.[5]) Quapropter Exeges. in Iliadem edit. Herm. p. 52, 7 et extrem. epistul. 45 γραμματικόν se appellat.

---

[1]) Cf. histor. 70, chil. III, 102—231 et chil. IV, 565—599.

[2]) Gerbelius (edit. Kiessling. praef. XX) et Fabricius l. l. p. 229 quidem pro certo affirmant Ioannem Tzetzam quindecim natum annos praeclarissimis praeceptoribus traditum esse, sed male intelligunt

chil. IV, 570: Ἐγγὺς πεντεκαιδέκατον τρέχοντα γὰρ τὸν χρόνον
Τὸ νέον καὶ εὐόλισθον τηρῶν τῆς ἡλικίας,
Αὐτῷ με συνεκοίταζε (scil. πατήρ) πᾶν παραινῶν τὸ δέον,
Ἥπερ ὁ Κάτων τῷ υἱῷ etc.

[3]) Memoria sua noster saepe gloriatur, ut epist. 13, chil. I, 275 sqq. 847, VI, 407. 475, VIII, 182, IX, 752, X, 340. 364, XII, 13 schol. ad Allegor. Iliadis, Cramer l. l. p. 377, 18 sqq. se ex memoria scribere praedicans iubensque fieri periculum, ut, quaecumque aliquis velit scire, ex memoria dicere ipsum iubeat.

[4]) Sathas l. l. πρόλογ. p. XXXVII.

[5]) Huic rei documento sunt epp. 24. 25. 26. 28. 29. 60. 79. 80. 82. 85, chil. IX, 733. 739, histor. 40, edit. Kiessl. p. 204. Exeges. in Iliadem p. 52, 7, ibid. schol. ad 6, 20, p. 129 edit. Herm.

Saepenumero ἀδελφότητος[1]) suae mentionem facit. Unde quominus quis putet nostrum in monachorum quodam ordine fuisse, prohibent verba illius haec: ἐγὼ γὰρ . . . . οὐδ' ὑπάρχων ἀββᾶς ἢ παππᾶς ἢ τῶν ἄλλων ἀρετὴν μετερχόμενός τινα.[2]) Fraternitatem igitur opinor dictam esse de Laicis, qui ad consortium orationum a monachis admittuntur.[3])

His deditus studiis noster Constantinopoli[4]) vitam degit otiosam,[5]) a rebus publicis remotam,[6]) in egestate.[7]) Sed ita se dicit libertatis amantem, ut in egestate vivere quam libertate amissa Croesi opibus uti malit.[8])

De moribus Tzetzae pauca habeo, quae dicam. Nota est arrogantia, nota iactantia eius. Quapropter si eis, quae de moribus suis artibusque optimis praedicat, fidem haberemus, in eius persona expressam imaginem virtutis videremus. Sed fides ostentatori sui nimium vano habenda non est. Hoc unum constat eique summae laudi tribuendum est eum omnes nervos ad veri investigationem inventionemque intendisse.

---

[1]) Epist. 39: Τὸ παρὸν γράμμα τὴν σὴν προσκυνεῖ μεγάλην ἁγιωσύνην ὡς ἀπ' ἐμοῦ καὶ πάσης ἐμῆς ἀδελφότητος. epp. 66. 98.

[2]) Epist. 58.

[3]) Glossarium ad scriptores mediae et infimae Graecitatis auctore Carolo du Fresne, domino du Cange, tom I, p. 34.

[4]) Cf. epp. 14. 19. 59. 69, chil. IX, 64, Pressel. l. l. p. 131, chil. IX, 162. XIII, 371.

[5]) Ep. 55: ἐγγωνιάζειν γὰρ εἰωθώς; ep. 46: οἰκουργὸς γὰρ ἐγὼ καὶ ἐγγώνιος. epp. 35. 42. 58. 98. 1.

[6]) Ep. 47: Ὁ Σεβαστὸς ὁ Βατάτζης ὁποίου θέματος δουλείαν ἐνήργησεν, οὐκ ἐπίσταμαι· τοσοῦτο γὰρ ἔμοιγε δημοσίων πραγμάτων καθέστηκε μέλησις, ὁπόσον κολοιοῖς βασιλείας ἢ ἀετοῖς τῶν νόμων τοῦ Πλάτωνος καὶ ταῖς ἀηδόσιν Ἀριστοτέλους συλλογισμῶν.

[7]) Ep. 19: Ἀλλ' ὡς ἔοικον ἄρα τις τῆς ἀχρημοσύνης καταγνούς; ep. 39: πρὸς δὲ τὸν πενιχρὸν ἐμοῦ ἀπιδών. cf. ep. 18. Exeges. in Iliadem edit. Herm. p. 15, 9 sqq.

[8]) Epp. 19. 39. 73.

Restat, ut res dispersas brevi unum in locum congeram.

Ioannes Tzetzes circa a. 1110 patre Michaele, matre Eudocia Constantinopoli natus est. Cum adolevisset patris saluberrima institutione usus liberalibusque disciplinis imbutus est. Iuvenis viginti annorum Lycophronem poetam suscepit explicandum omnium facile difficillimum. Quo opere absoluto ad Hesiodi carmina illustranda properavit. Anno fere 1135 Berrhoeam ivit Isaacum eparchum visum; a quo indignis munusculis exceptus iratus Constantinopolim reversus carmen de rebus Troianis concinnavit. Fratri anno 1138 Rhodo in insula mortuo νέρτερα δῶρα dedicavit carmen, quod anno 1139 de metris composuit. Tum vero γραμματέως munus, quo antea functus erat, abdicavit et litteris totum se dedit et pueris erudiendis operam impertivit. Discipuli cuiusdam fraude commotus anno fere 1142 Exegesin in Iliadem publici iuris fecit. Cum hanc scriberet, vitam degebat summa in egestate, quam ei malignitas uxoris Isaaci, Berrhoeae eparchi, iam inde ab anno 1134 paraverat. His rei familiaris angustiis subsidio venit Irene, Manuelis Comneni imperatoris coniux, cuius hortatu noster et anno 1144 Theogoniam confecit et paullo post Allegorias Iliadis scribendas suscepit. Quarum quindecim prioribus libris a. 1147 perfectis, cum quaestoris aulae imperatoriae morositate offensus opus ad exitum ducere nollet, ad alia tractanda studium suum contulit. Scripsit igitur paullo post annum 1148 scholia in Hermogenem et prius ad Aristophanem prooemium. Irene anno 1158 mortua Cotertzes suppetias tulit homini egeno, ita ut non modo Allegorias Iliadis perficeret, verum etiam Odysseam Allegoriis adumbraret. His Allegoriis scriptis ad Aristophanis fabulas explicandas rediit. Non ita multo post annum 1170 epistularum suarum in unum corpus redactarum historias componere coepit. Anno 1180 epitaphium in Manuelis Comneni imperatoris mortem confecit.

Haec habui de Ioannis Tzetzae scriptis ac vita quae dicerem.

Henricus Giske de vita sua.

Natus sum Ioachimus Fridericus Iacobus Christianus Henricus Giske Dammeretzensis a. d. V. Kal. Novembris a. h. s. LIII patre Friderico, matre Maria e gente Evert, e quibus illum vivum debita pietate prosequor, hanc nuper acerbo fato mihi ereptam lugeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis elementis a patre imbutus puer quattuordecim annorum seminario Noviclausteriano, quod Helmuthio Kliefoth directore gaudet, traditus sum, ut iis instruerer disciplinis, quae ad ludi magistri munus recte fungendum necessariae sunt. Triennio interiecto, ut virium mearum periculum facerem, missus sum in civitatem Roebelensem. Ubi per novem menses pueros prima elementa edocui. Tum mihi contigit, ut Gottliebus Bartholdy, Guilelmus Fleck, Carolus Voigt Roebelenses, viri haud illitterati, me linguam Latinam et Graecam se docturos insigni cum benevolentia profiterentur. E magistro factus sum discipulus. Autumno anni h. s. LXXIII adii gymnasium Lubecense, quod tum Friderici Breieri auspiciis regebatur, nunc Schubringio directore floret. Maturitatis testimonium a. d. VII. Idus Aprilis a. h. s. LXXVI adeptus Rostochium me contuli praecipue philologiae operam daturus. Ubi per tria semestria praeceptoribus usus sum viris doctissimis Fritzsche, Bechstein, de Stein, Foerster, Philippi, sodalis fui seminarii philologici germanici, cui Bechstein praeest, per bis sex menses; ut exercitationibus et archaeologicis et philologicis interessem per bina semestria Foerster benigne concessit. Deinde per ter sex menses in